Diss. № 3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

RELIGIONE MEDICI,

QVAM

DEO PROPITIO

ET

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIAR. AULICO, MEDICINÆ ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis More Majorum Solenni obtinendis,

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

D. NOVEMBR. cIↃ IↃcc XXII.

Publicæ ventilationi submittet

JOHAN. FRIDERICUS BROESIKE,

JESERIC - MESO - MARCHICUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

PROOEMIUM.

INter alios antiquiſſimorū Ethnicorū Medicorum æq; ac Philoſophorū auſus & conatus, ille etiam innotuit, quod mortales ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ affectaverint; quale ſtudium ex improbo & ambitioſo affectu ex parte ortum traxit, cum inter divos referri maluerint, quare ad tantum ſapientiæ & ſcientiæ culmen atque faſtigium pertenderunt, quo Diis ſimiles judicari queant, adeoque ex cæco & gentili fundamento ſcientiæ & virtutum hanc ὁμοίωσιν proſecuti ſunt: ita *Hippocrates* dixit ὁ ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος: de qua aſſimilatione varii varia judicant, quales ſententias collegit *Schmiederus in A. N. C. Cent. 3. obſ. 78.* inde vero liquet, quod Hippocrates hanc ſimilitudinem in Philoſophiæ poſſeſſione conſiſtere judicaverit: *Plato* viciſſim, qui Hippocrate paulo junior fuit, dixit *in Thæteto: nihil Deo ſimilius, quam juſtiſſimus homo*, qui propterea juſtitiam, utpote virtutem commendavit, qua ὁμοίωσις illa acquiri queat: aſt huic aſſerto ſine diffu-

ſa illius explicatione, ad latus ponimus effatum *Jobi c. 14. v. 4. quis edat mundum ex immundo, ne unus!* Wer will einen Reinen finden, bey denen, da kein Reiner iſt: & uti *Eſaias* eloquitur: *c. 64. v. 6. ſumus ut immundus omnes nos & ſicut panniculus abiectiſſimus omnes juſtitiæ noſtræ, diffluimusque ſicut folium omnes nos, & iniquitates noſtræ ut ventus auferunt nos.* Heu quam perverſa ὁμοίωσις τῷ Θεῷ: hanc viam, propius pertingendi ad Deum, quærunt itaque plurimi in Religione, de qua *D. Thomas 2. qu. 122. artic. 1.* dicit: *Religio eſt potiſſima pars juſtitiæ: conf. Paul. Zacchias qu. med. leg. lib. 6. tit. 3. qu. 6. n. 5.* aſt quo certior aditus pateat ad deperditam gratiam & conjunctum verum cultum Dei, ab omni ævo multæ concertationes de puritate, veritate & certitudine Religionis ſubortæ fuerunt, unde inter ethnicos & chriſtianos variæ cenſuræ variaque experimenta quoad Religionem inclaruere; ſicut inter alia ſpecimina præcipue innotuit exploratio cum Igne, qua partim Religio ſub examen vocata fuit, partim viciſſim nonnulli veritatem, certitudinem ſuæ Religionis & innocentiam teſtati ſunt: quod primam circumſtantiam attinet, placet ex variis documentis unicam hiſtoriolam, aut fortè fabulam ex *Ruffino lib. 2. hiſt. c. 26.* recenſere, quam *Caſatus de Igne diſſert. 1. p. 3. 4.* hiſce proponit verbis: *Ignem Deum ſuum circumferebant Chaldæi, ut cum cæterarum Provinciarum Diis ea conditione confligeret, ut, qui viciſſet, ab omnibus haberetur Deus: jamque triumphum victoria, quæ natura inſolens atque ſuperba eſt, ſuadebat reliquarum gentium Diis ab Igne corruptis, quippe qui conſtarent ex auro, argento, ligno, ſimilique materia, quæ ignis vim non ferebat: cum repente injecta frigida, defenderit hominum arrogantia, exciditque e manibus victoria, Canopi Sacerdote callidum quiddam comminiſcente: Hydrias habebant ægyptii fictiles undique crebris ac minutiſſimis foraminulis patulas, ex quibus guttatim manans atque exſudans turbida aqua defæcacior atque purior redderetur: Harum ille unam foraminibus cera obſtructis, variisque pictam coloribus,*

bus, aqua occulte repletam statuit in Deum, & excisum veteris simulachri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput superno hydriæ osculi impositum diligenter aptavit: adsunt chaldæi; itur in conflictum; circa hydriam ignis accenditur; cera, qua obstructa fuerant foramina, solvitur, sudante hydria Ignis extinguitur, Canopus chaldæorum victor prædicatur - - & hæc fortassis Ægyptiis occasio fuit tribuendi aquæ divinitatem: quod vero alteram circumstantiam concernit, tunc pro illius illustratione provocamus ad *B. Illustrem Strykium in tr. de Jure Sensuum*, ubi *Dissert. 7 c. 4. n. 4.* dicit: *idem aliquando factum in solenni de Religione christiana concertatione: ubi duo Episcopi, quorum alter orthodoxus erat, alter Arrianus, de Religione ac recta fide disputabant: orthodoxus conditionem obtulit, ut rogo ingenti accenso ambo se in ignem conjicerent: Arrianus hoc facere recusavit: orthodoxus autem intrepide igni se commisit, atque ibi cum aliquandiu mansisset, per medium ignem illæso corpore imo & intactis vestibus transivit: Niceph. lib. 15. Hist. Eccles. c. 23. ex quo id refert Annæus Robert. Rer. judic. lib. 1. c. 11. p. m. 193. Setser de juram. lib. 1. c. 11. n. 54.* quam probam cum igne institutam die Feuer-Probe Div. apostolo *Thomæ* adhibitam referunt *Isidorus, Abdias de vit. apost. Benckendorf de X Persecutionibus*, sicut idem de Polycarpo legitur: *conf. D Kortholt tr. de tali pyrophoro Hamburgensi* nomine *Georg Frese*, *Gottfr. Arnolds* Leben der Alt-Väter *p. 175. 182 208.* Leben der Gläubigen *p. 1108. ππ.* omisso testimonio biblico; ex historicis constant exempla talia quæ fidem innocentium testari debuerant, *Richardis* coniugis *Caroli Crassi*, *Kunigundæ* conjugis *Henrici II. Comitissæ* viduæ cujus maritum innocentem *Otto III.* ob incastam suam uxorem *Mariam* percussionis capitis supplicio tradidit: quod documentum innocentiæ vero abrogavit Pontifex *Stephanus VI.* & contra quod experimentum tr. edidit *Agobardus* Archiepiscopus Lugduno-Gallus; quo spectat biga castium, in Historiis obviorum, de duobus Monachis, qui utrique *Petri* nomine innotuerunt, quorum unus e domo *Altobrandini*, natione *Florentinus*, una cum confratribus suis Episcopum suum Simoniæ crimine accusa-

 bant,

bant, qui pro juſtificanda hac ſua accuſatione per ignem illæſus tranſiit: eapropter etiam nomen *Petri Ignei* nactus eſt: alter *Monachus Petrus* inter chriſtianos milites ſub *Boëmundo* & *Gothofredo*, qui contra *Turcas Antiochiam* occupabant & defendebant, inſomnium ſuum de lancea, qua Chriſtus transfoſſus credebatur, firmare & cum ignis proba certificare voluit, ab igne adeo læſus fuit, ut brevi poſt vitam amiſerit: Ex hiſce quaſi in tranſitu id tantum notare voluimus, quomodo inter homines unquam Religio, veritas & innocentia æſtimata & tractata fuerit: illud in genere quidem exinde liquet, quomodo per Religionem ad Deum pertingere laboraverint mortales: quare *Aurelius Auguſtinus* dixit: *Religio illa eſt, quæ univerſalem continet viam animæ liberandæ. vid. Lud. Cœlius Rhodiginus Lect. Antiqu. lib. 9. c. 20.* interea vero ſæpius tam ſacra Religio in tantum abuſum ducitur, ut nonnulli in eadem mera miracula indagare & contemplari geſtiant, ſicut *Dan. Chamier T. 2. l. 16. Panſtrat. c. 14. p. 347.* dicit: *tota quantacunque eſt religio papiſtica, eſt* θαυμάτων διηνεκὴς ἔνδειξις *miraculorum perpetua oſtentatio:* ob id quandoque Religio cum ſuperſtitione confunditur, uti *Cicero* dicit *in partit. cernenda ſunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari: nam & prudentiam malitia - - - fortitudinem audacia, juſtitiam acerbitas & Religionem ſuperſtitio imitatur:* quo loco reminiſcimur illius, quod *B. Baro de Canſtein in Harmonia Evangelica in Luc. 9. v. 51.* de Religione profitetur: Die Religion die da ſoll das Band ſeyn der Liebe gegen GOtt und unter den Menſchen, wird leider der gröſte Zanck-Apffel, worüber wir uns mit einander verachten, von einander trennen, untereinander haſſen, beſtreiten, verjagen, ja würgen und tödten; & de eodem Religionis abuſu loquitur

B. Lu-

B. Lutherus in der Kirchen-Postill im *IV.* Theil *edit. Arnoldianæ Lips.* 1710. am *X.* Sontag nach Trinit. Hie hätten sie mögen sagen wie jetzt der Pabst und die Seinen; ja das ist unser alt hergebrachte Religion und Christlicher Glaube, darum wollen wir nicht davon lassen, noch leiden, daß man darwieder rede: aber Christus sagt also dazu, eben darum komme ich daß ich euch lehre, was rechter alter oder neuer Gaube oder Gottesdienst sey, weil ihr solches schändlich verkehret habt: & proxime: Da steht der rechte alte Glaube, da hörstu nichts von denen Opffern, sondern Christus heisst dich essen und trincken und diese Wort im Glauben fassen und GOtt dafür dancken, daß du kanst das Vater Unser recht darauf sprechen und sagen ich habe gebetet, und weiß daß du mich erhörest: das vermag gewißlich kein Pabst, Cardinal, Bischoff, Pfaffe oder seine Geistlichen die da hoch her rühmen und scharren von alten Glauben und Religion, und wissen doch nichts, was Religion, Glaube oder Gottesdienst ist, und mit ihrer öffentlichen That bezeugen, daß sie nichts sind, dann Seelen-Mörder, und ihren Bauch nehren: unde omnibus, qui sacra religione ad Deum adspirare, animamque suam liberare volunt, illud dictum est, quod *Thom. à Kempis de Imitat. Dei lib. 5. cap. 19. v. 1.* dicit: *vita boni religiosi, omnibus virtutibus pollere debet, ut sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius; & merito multo plus debet esse intus, quam quod cernitur foris, quia inspector noster est Deus, quem summopere revereri debemus, ubicunque fuerimus & tanquam angeli in conspectu eius mundi incedere:* hoc est requisitum hominis, qui Religionem colit. Sed ne nos in generalem Religionis explicationem effundamus, neve ultra sphæram nostram spatiemur, illud consultum esse judicavimus, ut Religionis attentam & sollicitam applicationem ad quodvis genus studiorum generice probemus & commendemus & si omnes nostras actiones ad gloriam Dei dirigere debemus, necessario etiam quaslibet scientiarum & artium facultates religiose tractemus, quo bonam conscientiam servemus, Deum reverenter habeamus & proximi salutem ingenue promoveamus: quo

perti-

pertinet dictum *B. Scriverii* im dreyfachen Absehen eines Christen *p. 459.* Unser Gemüth muß Circul-artig seyn, dessen einer Fuß herumgehet, der andere aber auf den Mittelpunct ruhet, ich will sagen, wir mögen handeln, wandeln, essen, trincken, thun oder lassen, was wir wollen, so muß alles auf die Vertheidigung und Ausbreitung der Ehre GOttes gerichtet seyn: & hoc modo sanctificatur quodvis studium, ut in vera & sincera Religione exerceatur: qui secus opera sua tractant, de illis dicit *B. Spenerus* von Natur und Gnade *p. 191.* Wo einem grosse Ehre wegen seiner Wercke wiederfährt, er sich damit kützelt, in sich selbst und gegen andere brüstet, auch gern, daß es noch mehr geschehe, siehet und befördert, nicht aber von Hertzen, ob ers wohl etwa etlicher massen mit dem Munde thäte, auf Gott weiset, und in solcher Ehre die Frucht seiner Arbeit suchet, ist dieses ein trauriges Zeugniß, daß auch die vorige That nicht in rechter Demuth geschehen sey, und er sich damahl betrogen habe, als er meinte, er thäte es zu GOttes Ehren: & *B. Arndius de Vero Christianismo Lib. 1. c. 18.* confitetur: Das muß nu also geschehen, daß alle unsere Arbeit, Handel, Wandel, Beruff, im Glauben geschehe, in der Liebe und Hoffnung des ewigen Lebens: oder noch deutlicher, daß in allen Dingen, was man thut, des ewigen Lebens und der ewigen Seligkeit nicht vergessen werde: & hæc est vera Religio in omnibus studiis observanda: *conf. idem B. Arndius l. c. lib. 2. c. 23. lib. 4. c. 40. & B. Henricus Müller* Göttliche Liebes-Flamme *P. 2. c. 1.* Sed ne in generali hac consideratione subsistamus, propius nunc ad propositum nostrum progrediemur, sicuti præsenti Inaugurali Specimine de RELIGIONE MEDICI disserere & fundamentales hujus thematis respectus annotare constituimus: Affulgeat huic conatui lumen divinum, quo gloriam Summi rerum humanarum Directoris & perfectissimi artis Medicæ authoris & protectoris, ut & ipsius artis Medicæ sincerum progressum & proximi certum & exoptatum commodum promoveamus.

§. I.

§. I.

M*Edici Religionem* hoc Themate & Specimine propofituri & explicaturi, facile judicamus, quod *confeftim* lectoris animus non in *Medici*, fed *Religionis* notione hæreat, quippe multis vel ipfe *fonus* Religionis *intricatus* ac *ominofus* videtur, ut perperam judicent, quafi in *Religione*, aut *receffibus*, religionem concernentibus, exponendis facile quisquam *impingere* & in tam *delicata*, imo fecundum quosdam, *intricata* & *controverfa* indagatione eminentem *errorem* committere queat: etenim cum Religio per orbem *discrepet*, quælibet vero fibi *veritatem*, finceritatem & certitudinem arroget, hinc multi pro *aris* certant, alii vero dum *ambigunt*, *quænam certa* fit Religio, cum *quælibet* tot *oblocutionibus* obnoxia fit, judicant, quod *nulla* detur *infallibilis* religio, *credunt* itaque quod *volunt* & fubinde *discurfus* de *Religione* inftitutos *otiofos* & *fallaces* effe reputant: inde oriuntur craffiffimæ *confufiones* inter *Naturam* & *Gratiam*, imo judicia ac *conclufa*, quod illud etiam in *cultu divino* pro *norma* valeat, quod ratione five *intellectu* concipere licet: de quibus meditationibus valet illud apoftolicum *Coloff.* 2. v. 8. *cavete ne quis denudet per Philofophiam & per deceptionem vanam fecundum doctrinas filiorum hominis & juxta elementa mundi & non juxta Chriftum*: Religioni itaque ducere convenit, ne quis Religionis tractationem *jiculariter* calumnietur: quodfi enim per *Religionem generice cultus Dei* intelligatur, tunc ad Religionem *quilibet* homo per omnem *fcientiam* & *confcientiam* devinctus eft: talis cultus vero minime ex *arbitrio corrupti intellectus* fluit, qualis cultus Deo deteftabilis eft; hic rectius requiritur *cultus Dei in Spiritu Phil.* 3. v. 3. ut *ferviamus in novitate fpiritus*

Rom. 7. v. 6. conf. Ebr. 12. v. 28. quoniam accepimus regnum non mobile, teneamus gratiam, per quam serviamus & placeamus Deo cum verecundia & timore: unde Religio vocari potest *cultus Dei, per quem Deo placemus cum verecundia & timore: ille etiam est rationalis cultus, ut sistamus corpora nostra hostiam vivam sanctam, placentem Deo: Rom. 12. v. 1. conf. Syr. 1. v. 17. c. 4. v. 15.* Wer Gottes Wort ehret, der thut den rechten Gottesdienst, und wer es lieb hat, den hat der HErr auch lieb. *Si quis vero existimet, quod serviat Deo & non cohibet linguam suam* (i. e. qui etiam de Religione ludicre nugatur) *sed decipit ipsum cor suum, hujus vanus est cultus, Jac. 1. v. 26.* ita secundum alios Religio vocari posset, ille *cultus*, quo *homines toto corde Deum quærunt*, secundum *Jeremiam 29. v. 12 - 14. Quum invocaveritis me ut abeatis & oraveritis me, tum exaudiam vos: & quærentes me invenietis, quum requisiveritis me ex toto animo vestro: præsto enim futurus sum vobis: dictum Jehovæ:* quando vero *Religio* pro *doctrina credendorum* & *agendorum* accipitur, quam homines sectantur, tunc *Salvator* ipse veram Religionem profitetur *Joh. 5. v. 24. Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam & in condemnationem non veniet, sed transivit a morte in vitam. c. 8. v. 51. Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum observaverit, mortem non conspiciet in æternum: c. 14. v. 23. Si quis diligit me, observabit sermonem meum & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & apud eum habitabimus:* ibi enim est *vera Religio! Quis enim est Paulus, aut quis est Apollo, nisi ministri, per quorum manus credidistis. 1 Cor. 3. v. 5.* neque vera Religio nititur abusu quaternionis a *B. Müllero mutorum Idolorum* vocatorum, videlicet *baptisterii, cathedræ ecclesiasticæ, sacrarii pro confessione* & *aræ:* sed huc valet illud *Jeremiæ 7. v. 4. 5. 10 - 14. c. 18. v. 11.* & hæc pauca de Religione dicta sufficiant, ubi *puritatem doctrinæ* & *sanctitatem vitæ* ad *Religionem* spectare prædicavimus:

vimus: quemadmodum vero ad *hanc* Religionem *omnes* homines obligati sunt, ita *specialiora* ex eadem Religione fluunt *officia*, quæ pro *diversitate externæ* stationis, functionis & occupationis, seorsim in reliquo vitæ genere exercenda sunt: propterea *Medici* etiam suam *Religionem* habent, in qua vitam *irreprehensibilem* exhibere debent: est itaque hæc *Religio Medicorum*, illa *vita, qua ad beneplacitum Dei & proximi salutem integra conscientia officium concreditum administrant Medici:* adeoque hæc Religio non primario occupatur circa *eximiam eruditionem* & *portentosam experientiam*; quamvis medicus *religiosus* & *scientia* & *peritia vera* instructus esse debeat: utraque vero non statim Medicum reddit *religiosum*: quare potissimum *Religio* Medici cum *Deo* negotium & commercium habet, in cujus honorem & *gloriam* Medicus cum plenaria *abnegatione propriæ* suæ capacitatis, ostentationis & sui *honoris*, omnia sua officia exercet, ut *soli Deo gloria* maneat, proximus vero ex hac *integra* artis Medicæ administratione & *animo* & *corpore*, quantum fieri potest, *emendetur*, promoveatur & erigatur, proinde in singulis hisce negotiis ipse medicus *puram conscientiam* servet: tunc Medici symbolum est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos Rom. 8. v. 31.* & *ita Deus conteret oppressorem Psalm. 72. v. 4.* Er wird die Lästerer zerschmeissen: & *Tobiæ* 13. *v.* 15. Verflucht werden seyn alle die dich verachten: verdammt werden seyn alle die dich lästern: gesegnet werden seyn alle die dich bauen. *Psalm. 94. v. 15. usque ad justitiam reversurum est judicium: & post illud omnes recta corde:* Recht muß doch recht bleiben und dem werden alle fromme Hertzen zufallen. Quod vero *talis* Religio Medici *absolute necessaria* sit, nemo facile inficiabitur: si enim *Deus author* est *Medicinæ*, si Deus Medicum *creavit* & si ab altissimo curatio est *Syr. 38. v. 2.* Der HErr hat den Artzt geschaffen, und die Artzeney kommt von dem Höchsten: tunc sine ulla exceptione Deo medicus *subjectus* & ille ab hoc omni

 cul-

cultu, *honore*, *reverentia* & *Religione* afficiendus est; tanta enim est inter *Deum*, *Religionem* & *Medicum* connexio, ut *sine Deo* & *Religione* nullus *exactus* Medicus esse queat; propterea etiam ipsi *Ethnici* Medici ad *Deos* & *Deorum cultus* provocarunt: *vid. Hippocr. de veter. medic.* in quo vero ipsi quoad hunc cultum *defecerunt*, in eo etiam non exiguum defectum quoad *principalem destinationem* artis suæ passi sunt: propterea tamen non *confundi* debet *Medicina* cum *Religione*: *aliter* enim procedit *Medicina sine Religione*: plurimum vero vicissim *ingenuitatis* & *divini* successus, si *cum Religione* conjuncta est, nanciscitur: neque quidem *Religio* est pars *propria* & essentialis *Medicinæ*, quoniam cæci *Ethnici* etiam *Medici* fuerunt & passim Medici reperiuntur, qui non æque *Religionem* Medicam agnoscunt & admittunt: datur itaque *Medicina sine Religione*, melior vero & *Deo* & *hominibus ingenuis* magis *accepta* illa est, quæ *cum Religione* conjungitur: si enim *Ethnici* in Medicina *divinum* concursum annotarunt & æstimarunt, quid *christiani* Medici non efficiant?

§. II.

Proximum nunc erit, ut in *differentiam* inter *Medicum* & *Religiosum* Medicum introspiciamus: *Medicus* itaque in suo nudo & *naturali* statu & gradu consideratus, *sua* scientia & peritia nititur & ad officium suum *naturalia subjecta* horumque diversas *relationes*, naturales *causas* harumque diversas *efficacias* diversosque *influxus*, nec non naturales *effectus* cum diversis *consecutionibus* usurpat, qui præcipue *corporum* nudos respectus æstimat & *necessitates* in *causis* & *effectibus* supponit, probatis *remediis*, multis *experimentis* & observationibus confidit, qui ad summum quandoque ad cæcam quandam *fortunam* provocat & Deum *minima* non curare sibi interdum persuadet, præcipue cum comprehendere, aut *intellectu* assequi haud valeat, *quomodo* Deus cum *medicamentorum* operatione co-

opere-

operetur, dum rectius medicamenta per illam *internam* suam vim, à Deo ipsis jam concessam operari autumat: si vero talis medicus de illorum *justa* applicatione & *opportuna* commendatione tantum e longiori usu instructus fuerit, tunc medicamina, *citra* speciale *directorium divinum* efficaciam aut virtutem suam exserere sibi persuadet: cui asserto vicissim *Solenander in Consil. Med. Sect. 5. p. 505.* hisce verbis obloquitur: *cogitate boni viri nos homines esse, actiones nostras in manibus haud esse positas, nos pro ingenio nostro hoc aut illud exhibemus, dirigente tamen altissimo: sæpe numero longe aliter succedit, quam speraveramus:* quo pertinet illud *Freitagii noct. medic. c. 2. necessarium maxime est, ante omnia cum divini numinis imploratione medicinæ usurpandæ initium facere, ut & medicinam facienti & remediis in usum fragilitatis humanæ ex terræ gremio ubertim conditis & benigne profusis, legitime utenti divina opituletur benedictio: conf. Lentilius Jatromnemat. Theor. Pract. c. 62. Medica Praxis divinum charisma*: Religiosus vicissim medicus post acquisitam necessariam *scientiam* & *peritiam* unice omnem *salutarem* successum à *Deo* expectat, quoniam *extra Deum nulla salus*, propterea que *vera salus* a Deo exoranda & expectanda erit: *conf. Bohnius de offic. med. duplic. c. 4.* qui versiculum illum allegat: *ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis, quid rogo Dictamnus, quid Panacea juvat? Religiosus* Medicus utitur sua *scientia* atque *peritia* tanquam *medio divino*, per quod *Deus* afflicto proximo *salutem*, sanitatem & vitæ firmitatem conciliat, quare *talis* Medicus Medicina tanquam *sacra* re utitur: hinc interdum medicus, qui in *alterius* medici oculis *aspernabilis* videtur, longe *salubriores* effectus producit, quo valet ille locus *Brentii in Eccles. c. 9. v. 11.* quando dicit: *videmus usu venire, ut non raro artifex quispiam vix dimidium artis vicini sui habens* (quod idem est, quod videlicet non possit ad tam stupendam praxin & tot myriades ægrotorum provocare)

illo quamlibet optimo duplo plus emptitantium ſibi habeat devinctos: qui autem id fit? ratio equidem hic fortunam cauſatur: fides vero contra, opus eſſe Dei affirmat, qui operetur & jubeat fieri omnia in omnibus, ut ſibi ſoli gloria & honor acceptum ferantur; ob id Medicus *religioſus* bene *diſcernit* & bene *conjungit naturalem* capacitatem in *ſcientia* & *peritia*, ut & *divinam* religionem: quare Religio non admittit *ignorantiam*; quin ludicre quisquam Deum *tentaret*, ſi poſthabita omni ſcientia & peritia naturali, quæ perinde *divinum chariſma* eſt, *nuda* ſua *Religione*, *pietate* & fiducia in Deum ſubniteretur: ſicut enim ſummus rerum humanarum arbiter, eſt *Deus ordinis*, ita ipſi placuit hoc ordine *mediante ſcientia* & *peritia* medici, potiſſimum vero adminiculante ſua *benedictione* in foro *Medico* proximi *ſalutem* promovere: Medicus enim *Religioſus* non debet eſſe *idiota*: minime tamen cum *hoc* medicorum ſtatu, confundi debet *apoſtolorum* privilegium, de quibus extat *Marc. 13. v. 11, cum adduxerint vos, ut tradant vos, ne prævenientes ſolliciti ſitis, quid locuturi ſitis, neque meditemini Sed id quod datum fuerit vobis in illa hora, ipſum loquimini, non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Sanctus*; ita de medicaminibus dixit *Herophylus*, quod *ſint Deorum manus, ſi recte adhibentur*: ob id à medico *religioſo* illa *ignorantia* fugienda, quæcunque ipſam *artem* medicam *offendere* poteſt; hinc Deus *author* eſt *ordinis medendi*, quem medicus *conſcientioſus* addiſcere debet: ipſa enim *vita* noſtra eſt *therapia* & *accurata* methodus *conſervandi corruptibile* corpus, minime vero *confuſus* proceſſus: ob id non *nuda* Religio format medicum: ſed ſicut Religio eſt *commune* bonum, ita etiam cum *Medicina conjungi* debet: porro Medicus in ſua *natura* ſpectatus, non aliis, ſed *ſibi* potius ſervit, de *pane* lucrando, de *honore* acquirendo, de hominum *favore* impetrando & de variis aliis *propriis commodis* obtinendis officium ſuum gerit: medicus vero *religi-*

oſus

osus se totum *Deo* consecrat, cujus *gloriam* primario prosequitur; *non nobis Jehova, non nobis sed nomini tuo da honorem Psalm, 115. v. 1.* & hic etiam *proximi* commodum, proprio suo commodo *ante ferre* solet, adeoque omnes *vanos* fructus rejicit, sed semen spargit in *beatam* æternitatem: quicquid vero de terrenis, mundanis & *caducis* opibus acquirit, excipit è *manu Dei*, tanquam *donum*, neque pro thesauro *promerito* æstimat, quem sua capacitate acquisivit; proinde se omni dono à *Deo* accepto *indignum* æstimat, iterumque eodem utitur in *gloriam* Dei & *proximi* salutem; & hic egregius *circulus* ex illa *Religione* hujusque *connubio* cum *Medicina* fluit: neque quidem subinde talis Medicus Religiosus Religionem ad rationem *status* & *Politicam* transfert, uti *Helmontius tr. de Immortalitate animæ n. 2.* dicit: religiosi athei *nihil credunt, existimantes merum phantasma politicum ipsam fidem adeoque omnes religiones esse indifferentes: quippe quas credunt tantum ad coercendos populos subter legem civilem vivendi, introductas, illasque proinde ubivis fere locorum esse diversas & æque justas, statutorum Principum, sive consuetudinum receptarum jure promulgatas:* Religiosus contra *Medicus* officium suum medicum propter *Religionem* cum maxima delectatione exercet: & hoc *donum* ipsi in toto foro Medico summum est *bonum:* quicquid *operatur*, agit *Domino*, quo omni suo conatu & negotio *ipsi placeat* & in quolibet actu puram & *salvam* teneat conscientiam: tanta est discrepantia inter *nudum* naturalē aut profanum *medicum*, licet ceteroquin *Doctissimus* & Experientissimus sibi videatur, licet de *millena* scientia & peritia fabulari sciat, & inter medicum *religiosum*: placuit vero hoc loco tantum *nonnulla* hujus discriminis puncta allegare & reliqua ulteriori meditationi commendare: attamen iterata vice inter *Medicinam* & *Religionem* distinguimus & concedimus *Medicinam eximia scientiæ & peritiæ* penu *locupletatam* &

ex-

exornatam, asseveramus vero quod *Medicina religiosa immensis* modis *præstantior* & dignior sit, quam prior.

§. III.

Offert sese hac occasione mox eminens *oblocutio*, qualis etiam in foro Theologico *analoga* moveri & proponi solet, an videlicet *irregeniti*, adeoque *irreligiosi* sacerdotes (de quibus valet illud apostolicum *Rom. 2. v. 19. confidis te viæ ducem esse cæcis, lucem eorum, qui sunt in tenebris: & eruditor destitutorum mente & præceptor infantium & est tibi forma cognitionis & veritatis in Lege: tu qui doces alios, te ipsum non doces, & qui prædicas ut non furentur, tu ipse furaris, & qui dicis ne adulterium committant.* (i. e. qui scurrili fronte & audaci corde sextum præceptum è cathedra explicas,) *& ipse adulterium committis* &c.) verbum Dei & sacramenta, rite, & fructuose administrent; est vero illa quæstio quæ *medicos* attinet, an *Medicus irreligiosus* non *cum fructu* medicinam exercere possit: sicut de *prioribus B. Spenerus* in der Gottes Gelahrheit *P. I. p. 255.* dicit: Es bleibt wahrhafftig dabey, daß ein solcher Lehrer, der den Geist GOttes nicht hat, sein Amt nicht nach aller gnüge zur Erbauung der anbefohlnen in der öffentlichen und absonderlichen Lehre führen möge: Womit ich nicht sage daß ein solcher Lehrer gar nichts gutes lehren könne: ich sage auch nicht, daß das Gute, was er noch aus der Schrifft lehret seine Krafft nicht haben könne in der Zuhörer Ohren, oder daß keiner könne bey eines solchen Predigers Dienst zu der Seligkeit gebracht werden &c. &c. sondern dieses sage ich allein, daß ein solcher Mensch, bey dem seine Theologia nichts anders als ein oben beschriebener aus natürlichen Kräften gefaßter habitus ohne göttl. Gnaden-Liecht ist, nicht tüchtig sey, alles dasjenige nach genüge in anderer Unterweissung zu leisten, was die Erbauung erfordert, sondern daß vieles derselben von ihm wird und muß verabsäumet werden. Ita *de medicis* irreligiosis dicimus, quod omnino ipsi artem suam cum *multiplici* fructu exerceant, qui fructus vero non *à medico* pendet, sed ab *altissimo* procuratur, non *propter medicum*, sed propter *ægrotum*: *ab improbis enim prodit improbitas 1. Sam. 24. v. 14.* du machest die Sache der Gottlosen gut. *Hiob. 36.*

v. 17.

v. 17. Jehova justum explorat, improbum vero & amantem violentiæ odit animus ipsius Psalm. 11. *v. 5.* de ægrotis vero multis valet *Psalm. 37. v. 40. adjuvat eos Jehova ac liberat eos; liberat eos ab improbis ac servat eos, quia recipiunt se ad ipsum. Psalm.* 119. *v.* 119. *facis, ut cessent omnes improbi terræ, tanquam scoriæ:* propterea *irreligiosorum* medicorum actiones *Deo displicent: justus* vero Deus non *propter* irreligiosum *Medicum* punit & deserit *afflictum* ægrotantem, sed valet de hoc *Marc. 16. v. 18. si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis:* quare omnino *Deus cooperatur*, quo *irreligiosi* Medici conatus sæpe *bene* succedant & subinde ex *irreligiosorum* Medicorum exercitio medico effectus omnino *salutares* provenire possunt & solent, unde differt *Medicina* a *Religione*: & quemadmodum Religio sine Medicina, ita hæc sine illa etiam exerceri potest: quantam vero *prærogativam* habeat *Medicina cum Religione* conjuncta, facile judicare licet: *tu benedicis justo Jehova Psalm.* 5. *v.* 13. Was die Gerechten rathen, das ist gewiß Ding, aber was die Gottlosen rathen, das treugt. *Proverb.* 12. *v.* 5. ita enim *undique religiosum* Medicum *benedictio divina* comitatur, ejusdemque consilia & auxilia melius succedunt, quam illius, qui hac Religione *destitutus* est: propterea à multis annis viri religiosi judicarunt, ne medicos *Judæos* patientes *christiani* accersant, quia ipsi *fontem* omnis *salutis* Christum Salvatorem adhuc abnegant illiusque *cognitionem* salutiferam pertinacissime respuunt: hinc *Caspar. Rejesius Camp. Elys. juc. qu. 13. n. 7.* dicit: *minime securum sed temerarium potius est perfidos hos ad sancta Medicinæ officia admittere, quandoquidem & quoscunque spurios i. e. malos homines, a Medicinæ studiis abigendos sanctissimæ leges asserant:* imo *Codronchius de Christ. med. rat. lib. 1. c. 37. Mercur. de Error. popul. lib. 2. c. 18. Zacchias qu. med. leg. lib. 6. tit. 1. q. 3. n. 10.* dicunt, quo christianus medicus *Medicum Ju-*

 dæum

dæum, aut alium quemcunque extra christianam Religionem aut etiam hæreticum ne quidem in aliqua cura ad consultationem & socium convocare debeat: *conf. Joh. Müller in Judaismo ex Rabbinorum scriptis detecto part. 2. c. 5. p. 1434. 1458. Arnoldus Mengering. in Scrutin. Conscient Catechetico cap. 6. ad secund. præcept. p. 414.* dicens *non posse sine læsione conscientiæ christianum, Medicum Judæum in morbo corporis ad se vocare: cum certum sit Judæum Jesu Christo maledicere & de medicina sua nihil in nomine Jesu exhibere, sed in omnibus ei contradicere. Georgii Dedekeni Thesaur. consil. & Decis. Volum. 2. Ludovic. Duntem in Decis. Cas. Conscient. sect. 2. qu. 27. p. 636. qu. 31. p. 642. Schneidewinus lib. 3. in Instit. Justin. tit. 1. Philip. Camerarius Hor. subcisiv. Cent. 1. c. 42.* in Jure *Canonico C. 28. q. 1.* extat locus *recipere a Judæo medicinam est peccatum mortale, Langius Epist. med. lib. 1. ep. 1. lib. 3. ep. 6. libr. 1. ep. 71. Simon Syrenius in Appendice Herbarii Polonici. A. N. C. Dec. 1. an. 6. & 7. obs. 151. de Judæis Medicis:* Id vero paucis modo demonstravimus, quod Medicina eximio *defectu* laboret, si *Religione* destituta est, quia Religio non est *contra* Medicinam, sed quia artis *Medicæ salutares* successus *promovet*, auget, confirmat & accelerat: hinc *Religionem Medicinæ* non *contrariam*, sed maxime *commodam* esse, probavit *P. Zacchias qu. med. leg. lib. 6. tit. 3. qu. 4. ubi nō. 15.* dicit: *vera medicina adeo Religioni consona est, ut medico maxime ac præcipue timor Domini primum in omnibus ab ipsa arte imperetur ut ostendit Mercur. lib. 2. error. popul. c. 17. præterquam quod medicinæ contemplatio homines Theologos facit, ut probat Jo. Pistor in suo Microcosm. c. 5. conf. Zacchias l. c. n. 24. ex artis medicæ præceptis verus ac bonus medicus semper Deum ante oculos habere debet, id monentibus non christianis solum, sed Ethnicis etiam*

quibus-

quibuscumque auctoribus, *ut ex quamplurimis probat Joh. Alph. a Fontecha in Spec. Med. Christ. lum.* 1. eandem pietatem ac religionem medicis necessariam esse idem *Zacchias docet l. c. n.* 22. 23.

§. IV.

Præmissis hisce *generalibus* meditationibus ad *Religionis Medici* explicationem spectantibus, nunc paulo pressius & *specialius* ad *officia* & *requisita* Religionis Medicæ proponenda progrediemur: ante omnia vero huc referimus veram, sinceram, seriam & probatam *pietatem*; si enim juxta apostolum 1 *Tim.* 4. *v.* 8. hæc ἐυσέβεια aut *pietas ad omnia utilis est*, aut in omni re prodest, *cui promissio est vitæ hujus temporis & futuri*, quidni etiam *Medicinæ* utilis ipsa existat: hæc est illa *fundamentalis* exercitatio omnium Medicinæ cultorum: hæc *Gymnasia pietatis* potissimum pro *Religione Medici* necessaria sunt: hæc *Gymnastica* & *dignitate* & *utilitate* & *necessitate* antecedit *Mercurialis*, *Jouberti* &c. *Gymnasticam*: in illa enim se Doctores Doctorum inter Medicos homines excolere & exercere debent: & quod apostolus monuit γύμναζε σεαυτὸν πρὸς ἐυσέβειαν, id medicinam discentibus, excolentibus & exercentibus commendandum est: in hac cultura & hoc studio *pietatis* se exercere possunt omnes *religiosi medici ad conscientiam habendam sine offensa apud Deum & apud homines Actor.* 24. *v.* 16. hæc est illa genuina ἄσκησις; inde *Collegia ascetica* medicorum suam authoritatem inveniunt (qualia collegia pietatis ascetica ego Præses Medicinæ cultoribus apprime utilia & necessaria esse judico, indico & commendo) huc vero requiritur *exercitatio* in pietate non nuda *contemplatio* aut vana exercitatio *rationis*, sed *effectiva* exercitatio, qua omne id in *effectum*, usum & administrationem vertitur, quod *pietas* præcipit, postulat & urget: propterea est Gymnastica & si *omne* juxta *Rom.* 14. *v. ult.* (πᾶν,) *quod non ex*

fide ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, *peccatum* est, ita per infallibile conclusum *religiosum*, verum esse debet, quod *Medicinæ* exercitium, *fide destitutum* coram Deo *peccatum* sit: ne itaque *tale* sit, *Religione* opus est: si porro *Medicina à Deo* est, ut in præcedentibus & ex *Eccles. 38. v. 2.* monuimus, omnisque medela a Deo provenit juxta *P. Zacchiam l. c. n.* 1. 2. 3. 4. aut *juxta Rejesium l. c. q.* 13. *n.* 8. *solus Deus vera salus est, & illum propitium habere oportet, ut conatum medici adjuvet, & medicamentis benedicat, conf. Disp. Celeb. Stahlii de Deo vero Medicinæ authore*; quidni Medicus religiosus in *timore*, reverentia & cultu Domini ambulet & ab illo qui *author* Medicinæ est omnem necessariam *salutem* & *benedictionem* expetat: qui vero Medicus *exauditionem* expectare poterit, ni *in viis Domini* ambulet & pietati *toto corde* studeat: si præterea Medicus *naturæ minister*, natura vero *opus Dei* est, ita tanto magis *Medicus Deo* devinctus existit, quem non modo *reverenter* habere, ipsum *spiritu*, *veritate* & *vita* colere, in illius *præceptis* ambulare, omne id, quod ipsi *displicet*, solicite *vitare*, sed & ab *eodem* omnes necessarias *vires*, pro *natura*, *ægroto*, *medico* & *medicaminibus* convenientes & fructuosas *exorare* debet: nisi enim huic *primario* serviat medicus, a cujus *ministerio* ipse *dependet* & cui maxime *obligatus* est tunc *malefidus* & culpabilis est servus, qui *Domini* sui principalem *voluntatem scit* & non *exequitur*, *secundariam* vero prosequitur, adeoque officia sua *confuse* & præpostere administrat: si porro ipse *Deus Medici* nomine se revelavit. imo ipsi *angeli medicinam* consiliis & auxiliis exercuerunt referente *Tiraquello de not. c. 31. nū. 103. 291. conf. Zacchias l. c. n. 28.* quidni medici *homines sanctitati* studere & inhærere debeant, cum tam sanctos imo sanctissimum habeant *antecessores* & qui etiam *salutares* medicorum conatus *comitantur* & *promovent*: si omnium *remediorum vires* a benignissimo *Creatore* pendent, ita tanto magis refert, quo medicus huic Creatori sincero corde *serviat*, sub cujus *gratia* hæc remedia artifex cum multo *fructu*

adhi-

adhibere queat: majorem enim *confidentiam*, promptitudinem agendi, *constantiam*, *certitudinem* animi & *alacritatem* in *omni* negotio *medico* parit, si medicus de adjutorio *divino certus* est: porro Deus munit cor religiosi medici, ne multis *dubitationibus* & *ancipitibus* deliberationibus obruatur, sed reddit illud *firmum*, quo majori *præsentia* animi scopum propositum prosequatur: *præservat* animum à periculosa *audacia* & perniciosa *negligentia*, sed ut ejusmodi medicus *ambulet*, *quemadmodum justum est & placeat DEO in omnibus operibus bonis reddatque fructus & crescat in agnitione DEI. Coloss.* 1. *v.* 10. & hæc pietas cui addictus esse debet religiosus medicus, non sit *mutila*, non *affectata*, non tantum *externa*, sed *integra*, omnibus suis requisitis atque partibus prædita: hoc enim *palmarium* est religionis medicæ requisitum: hæc *pietas* requirit etiam sedulam *conciliationem verbi divini* & indesinentis ardoris in *precatione* & ita rite & *fructuose* exercetur illud *ora* & *labora*: & quia *sacerdotes* præ omnibus aliis lucem pietatis coram hominibus lucere faciant, hinc à nonnullis iisdem *libertas medicinam* exercendi concredita & addicta fuit: *conf. Casp. Thristan. & Conrad. Mutzlerus de Medico Clerico P. Zacchias l. c. n. 23. quod reliquum est, quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus & si qua laus est, Phil.* 4. *v.* 8. hæc ad *pietatem* modo commendatam referimus: sit itaque hæc pietas hæcque religio *verbo divino exacte conformis*, neque ex *proprio* cerebro aut phantasia *ficta* & *facta*: quæ ipsa dum non proprie ad forum medicum spectant, tantum quoad *fundamenta* monere lubuit, si enim medicus tales virtutes commendaverit, quæ ad religionem pertinent & ipse illis virtutibus penitus *caret*, tunc de eo valet *aliorum medicus es & ipse ulceribus scates*, aliisque propterea *offensam* struit, vt in illis vitiis pergant, sub spe quasi *damna* exinde *corpori* imminentia facile *me-*

dica arte emendari possint: fugiat prava, libidinosa & *luxuriosa* consortia, *conventicula, compotationes, ludos* &c. & quemadmodum *Farinacius in Praxi & Theorica criminali Part. II. qu.* 109 *n.* 98 de religiosis monachis & clericis dicit, quod *non debeant se immiscere in ludis, quia ex illis utplurimum proveniunt multiloquia, peccata, rixæ & alia inconvenientia*, ita medici *religiosi* ab hac occasione *conscientiam* suam *periculo* alicui exponente, immunes esse debent: luceat itaque ipse medicus hisce *virtutibus* ornatus, omneque opus humili & *minus fastuoso* animo peragat; *Religio* enim non potest stare cum *elato* & *superbo* animo: quo minor *sibi* quisquam est, eo major in oculis *Dei* erit: neque hæc Religio permittit, quo medicus *sua* opera *extollat, admiretur*, magnifaciat & ut alii eadem laudibus & honoribus prosequantur, vel desideret, eoque omnem occasionem suppeditet: singulas tales similesque alias *vanitates Religiosus* medicus aversatur, & de eo unice contentus est, si *honor Dei* & *salus proximi* promovetur; minime enim medicum decet, ut gloriosus sit: hinc *Rejesius l. c. qu.* 16. *n.* 17. dicit: *quanto enim scientiis & disciplinis onustior, tanto se minus profecisse & vacuum magis doctrinis animum fateri debet*: & cum nullus *homo*, ita neque *talis* medicus ab *erroribus* immunis est & hanc suam *infirmitatem* submissus agnoscit, seque semper in comparatione ad *alios inferiorem* æstimat, minimumque facit, *alios* non *contemnit*, neque *se omnia posse* turgida ambitione gloriatur: confitetur subinde suas *infirmitates* suosque errores, & ne alii inde errores propullulent, solicite præoccupat, *conf. Tiraquellus de Nobil. c.* 31. *n.* 50. *Sanctorell. Antipraxeos lib.* 13. *c. ult. Zac. Lusitanus Med. Princ. hist.* & *P. Zacchias* dicit *l. c. lib. 6. tit.* 1. *qu.* 3. *n.* 11. *non est ergo ex hoc indecorum medico, si quando erret, errores ingenue fateri, nam & ipse Hippocrates & Galenus & alii Medicinæ Proceres*

suos

suos errores fateri non erubuerunt, quos imitari, si quis erubescat, discat prius erubescere, quod non imitetur conf. Eccles. 4. v. 31.

§. V.

Religioni etiam sibi ducat Medicus *Religioni* studens, ne *talia* dogmata foveat, quæ *veritati* & *Majestati divinæ* contrariantur & quæ potius ex petulante *phantasia* proveniunt, in qualibus theorematibus se interdum *luxuriosa ingenia* exercent & laudi sibi ducunt, quando *intricata* & ex *novitatis* & *curiositatis* studio nata asserta effingunt & declamant: qualia dogmata illa sunt, quæ *directorium Dei* vel in *omnibus*, vel in *plurimis* processibus & effectibus impune *negant*, sed omnia ex *materiarum viribus* audacter deducunt, adeoque in *nudis potentiis naturalibus* acquiescunt: existimantes, quasi semel Deus naturam creaverit & cum certis facultatibus beaverit, quasi nunc omnia *ex se* materiæ operentur, hinc evenit, ut potentiæ *mechanicæ* cum *divinis* confundantur & *lepidæ* illæ *opiniones* pro firmis & *infallibilibus* principiis ac *veritatibus* divulgentur, quod hoc vel illud tali modo succedere *debeat*, quia *Deus semel voluerit, ut ita succedat*: inde innotuit illa *proterva* & ludicra provocatio ad *voluntatem Dei*: inde oritur gravis *Religionis* offensio, quando *tales phantasiæ*, talia figmenta, imo interdum petulantes *fabulæ* aut aperti *errores*, *sanctissimæ* voluntati divinæ adscribuntur: tale specimen occurrit in Theoria *Spirituum*, in qua tot stupendæ *minimeque* demonstrabiles producuntur qualitates, quæ deinde *voluntati* divinæ imputantur; resonat propterea illa *falsa* argumentatio, quoniam Deus hoc ita facere *potuit*, propter suam omnipotentiam, ergo etiam *actu* ita fecit, uti sibi *corruptus* intellectus persuadet & imaginatur; confugiunt ejusmodi ingenia cum suis futilibus & *sterilibus inventis* ad *summum* illum pro-

tecto-

tectorem & pro *non entibus* suis atque *figmentis Deum Patronum* inquirunt & supponunt: ejusdem tenoris illa etiam est adsertio, quando impune, impudenter, temere & quasi pro authoritate materiæ *per se* activæ, motu *indito* & concreato præditæ supponuntur & ab hac *libera* facultate varii *effectus* derivantur: inde innotuere illa theoremata *Deus* instruxit materias motu, qui motus *materiis est proprius* & citra concursum *altioris* directorii è materia in materiam & per materias decurrit, quare varii effectus, qui alias ab alia, quam *materiali* causa pendent, adscribuntur *modificationi* motuum per *varias materias materialesque* alias proprietates: & ita miserrimo modo macerantur, ac adeo maceratæ pro veritate declamantur tales sententiæ *mechanicæ*; ex eodem fundamento imputantur *partibus* corporis *varii nisus*, elateres &c. per eandem *Dei voluntatem*; cum tamen horum motuum atque effectuum longe certiores firmiores & evidentiores rationes & cum sana, probata & ingenua ratione magis convenientes demonstrationes suppeditari queant: dolendum propterea est, quod sæpius *falsa* quædam dogmata *Deo* adscribantur: neque quidem facile talium dogmatum & authores & fautores sibi persuadent, quod cum iisdem theorematibus *Religioni* injuriam afferant & *sanctissimum nomen Dei* profanent: huc valet: O GOtt der theure Nahme dein, muß ihres Irrthums Deckel seyn! ita *Zacchias lib. 6. tit. 1. qu. 7. n. 2.* dicit: *medicus, qui in medendo incertas, novas, dubias & extra quotidianam praxin existentes opiniones sequitur, gravem errorem committit, cum ex conscientia teneatur sequi sententias certas securas*; quando insuper quidam certis subjectis *eximias vires medicamentosas* adscribunt, harumque virium *Deum* primam causam esse indicant, quæ tamen vires in iisdem remediis *haud* reperiuntur, sed quas vires tantum artifex ob *illum finem* de tali remedio prædicat, quo cum eodem melius *lucrari* queat, hinc *abutitur*

nomi-

nomine Dei ob *Philargyriam* ſuam, tunc iidem *Religionem* & *conſcientiam* violant, dum ex *iniquo* fundamento aliquid *Deo* adſcribunt, quod tamen *non eſt* & non obſervatur: & *talis honor* magis Deum *dehoneſtat:* ita *multæ* theoriæ medicæ, multis modis *diverſæ*, in *variis* contemplationibus & theorematibus *ad Deum* provocant, unde facile colligere licet, quod hæc provocatio ad Deum non ſit *univerſaliter vera* ac *juſta* & quod propterea gloria altiſſimi æque *violetur* ac ſi aliud craſſum & *apertum figmentum*, quisquam cum *Dei authoritate* protegere non veretur: *Seneca dixit Epiſt. 64. quorundam ſcripta clarum habent nomen, cætera exſanguia ſunt*; idem valet de ſuſpectis talibus theorematibus: præterea *contra Religionem* pugnat, ſi Medici *nihil divini* in *nullo* morbo agnoſcunt & vel *nudos* effectus *naturales* declamant, vel plane ad *fortuitum* quid provocant, cum tamen *ſiniſtri* æque ac *ſecundi* effectus & eventus *diſtinctis* plane circumſtantiis ſe commendent, quod a peculiari *divino* directorio pendeant: utitur enim *Deus naturalibus* cauſis & phænomenis, quibus mediantibus corpora mortalium affligit, uti extat *Pſalm.* 148. *v.* 8. *Ignis & grando, nix & exhalatio, ventus turbineus efficiens verbum ejus:* & ille Deo juſtiſſimo *antiquitus* receptus eſt mos, quod *tranſgreſſores* voluntatis, verbi & mandati ſui, inter alias conſtigationum ſpecies, pœna *morborum* afficere ſoleat, quæ indoles in Deo *immutabilis* exiſtit, ut hodienum adhuc *vindictam* talem per *morbos* ſumere & judicium ſuum cum tali *pœna corporis* exequi obſervetur, ſicut cum *peſte* aliisque *malignis* morbis juſta ſua judicia obteſtetur ut propterea *duræ* indolis ac cervicicis character ſit, quando *poſthabita divina* juſtitia ad *meras naturales*, cauſas confugimus & proinde *neglecta exoratione* gratiæ & miſericordiæ *divinæ* ſubito ad *naturales* effectus *remediorum* convolamus & provocamus, ſiquidem dies noſtri in manus *Dei* conſignati ſunt, unde ab ipſo etiam *vita* & *ſa-*

D *nitas*,

nitas, *morbi* & *mors* pendent: hanc *originem* agnoſcit medicus *religioſus* & ad *illam* applicat *Theoriam* & *Therapiam* ſuam medicam: *Seneca* confitetur *Ep. 66. ſi ratio divina eſt nullum bonum ſine ratione eſt, bonum omne divinum eſt*, ſub hac *principali* cauſa, ſtant reliquæ *ſecundariæ* morborum cauſæ, quas medicus, *Religioni* ſtudens, minime cum illa *ſuprema confundit*, ſed *juſto ordine* in indagatione *cauſali* & tractatione *ſalutari* ſive medica procedit: propterea tamen *conſcientioſus* medicus minime *negligens* & ſocors eſſe debet in evolutione, *collatione* & applicatione *cauſarum* ad ſanitatem & morbum contribuentium: quoniam vero hoc loco nobis præcipuus ſermo eſt, de requiſitis Religionis Medicæ, ita illa etiam *primario* ſtudio indicamus: *conf. P. Zacchias l. c. lib. 4. tit. 1. qu. 9. Caſp. Rejes. l. c. qu.* 18. *n.* 16. neque ullum, vel leviter in re medica verſatum, latere poteſt, quomodo ab antiquitate *eminenter periculoſis* morbis aliquid *divini* imputatum ſit, velut morbo *attonito*, morbo *ſacro*, morbis *ſidereis*, *peſti*, morbis *malignis*, *incurabilibus*, *occultis*, morbis *ſubitaneis*, *novis* &c. cujus conſiderationis uberrimam mentionem paſſim faciunt Doctores.

§. VI.

Quemadmodum *Religioſus* medicus *exemplar* debet eſſe *gregis* ſuæ, ſive *diſcentium*, ſive *ægrotantium*, ita ſingulos primario ad *eandem pietatem* admonere debet, quo ſub eadem *divina benedictione* artem medicam *addiſcant* & illius ſalutem *experiantur*: quicunque enim medicorum *meliorem*, magisque ſalubrem *viam* invenit, ille ex *conſcientia* ſua tenetur, quo *alteri* etiam *hanc ſalutarem* ſemitam indicet; jam vero longe *melius* medicina procedit, quando cum tali *Religione* conjuncta eſt, ergo alii ad *eandem ſalutem invitandi* & admonendi ſunt: de ægrotantibus varii medici conſentiunt, quod ad *pietatem* admoneri debeant *conſ. Bohnius de offic. med. dupl. c. 4. Rejeſius l. c. qu. 14. p. 149.*

150.

150. & D. *Gregorius* dicit *ad Deum primum confugiendum, qui verus & omnium præstantissimus medicus animæ & corporis affectiones curare potest: conf. Rejesii qu. 13. medicus an debeat à curatione abstinere, si æger nolit animæ medicum accersiri, ut christiana munia exequatur:* sane multum valebit hæc *medici admonitio*, quoniam *ægrotantes nimium quantum* spem suam in medico reponunt, adeoque *illius* monitis, *placido* animo propositis, *facilius* auscultant: habebit etiam medicus *occasionem*, qua ægrotos *convincat*, quod *omnis* medicaminum usus *salutarem* suum effectum haud impetraverit, nisi & ipsi *afflicti* sincero corde *à Deo, fonte* omnis *salutis, benedictionem* piis precibus rogaverint: ita ipsi agnoscent, quod in diebus tribulationis & afflictionis *neque herba neque malagma curet, sed quod sermo Domini sanet omnia: ipse enim vitæ ac mortis potestatem habet & deducit ad portas inferni reducitque. Sapientiæ 16. v.* 12. 13. *Videte nunc, me, me ipsum esse, & nullum esse Deum mecum: me morte afficere & vitæ restituere, frangere me & sanare, nec esse qui e manu mea eripiat. Deuteron.* 32. *v.* 39. *idem dolore afficit & obligat, vulnerat & manus ejus medicantur. Job.* 5. *v.* 18.: inde discunt ægrotantes exclamare *Psalm.* 6. *v.* 3. *cura me Jehova, quia conturbata sunt ossa mea*, & Jehova inquiet *Es.* 57. *v.* 19. *ego ipsum curabo*: ipse enim est *qui medetur omnibus tuis morbis: qui vero sine Salvatore salutem vult habere, non sanus sed æger, non prudens sed stultus, in ægritudine assidue laborabit*, dixit *Augustinus: conf. Joh. Heurnius Prax. lib.* 3. *c.* 28. *qu.* 2.: hinc *B. Lutherus in Eccles.* 38. *v.* 10. 13. dicit: erstlich werde fromm, zum andern laß für dich bitten, zum dritten brauche dann des Artztes: Beten hilfft mehr dann Artzeneyen: illi vero *miseri sunt, quos non pudet alloqui id quod nullis est viribus de sanitate, & rogare quod mortuum est, pro vita & supplicare quod nullam plane sui experientiam exhibuit, pro auxilio Sapient.* 13. *v.* 10. & 18. *Jehova enim est*

 cu-

curator tuus Exod 25. v. ult. ad *hunc* qui non ablegatur, sed qui *tantum à medico* opem expectat, de illo valet *Jerem. 46. v.* 11. *ascende Gilhaden & accipe Opobalsamum, virgo filia ægypti; in vanum multas adhibes curationes, emplastrum nullum prodest tibi:* sicut itaque Johannes Baptista suos patientes & discipulos ad Christum Salvatorem, de quo *Chrysostomus* dicit, quod ipse *summus medicus & archiater remediis benedicat, vt sanetur æger*, misit, ita quilibet medicus *religiosus* primario ad *eundem* virum & *fontem salutis* & *sapientiæ discipulos* & *patientes* suos ablegare debet: in *omnibus* subinde negotiis observet medicus, ut *puram conscientiam* retineat, tam in *officiis erga Deum*, quam *erga proximum* & *se ipsum*: fugiat *avaritiam*, *invidiam*, *calumnias*, *insidias*, multo minus omnia ad *suam* utilitatem referre studeat: multi enim sibi hoc symbolum eligunt: *exige dum dolet, post curam medicus olet:* caveat ab omni *livore*, demonstret *inculpatos* mores & *curvas* vias lucrum suum promovendi solicite *evitet*, adeoque *prudentiæ* operam det, omnesque *vulgares* imputationes & obtrectationes, quibus *medici* denigrari solent, ipse *bono* suo *exemplo* & *integro* vitæ genere declinare laboret: fugiat omnem *perfidiam* atque *dolum*, ne illis offendiculum pariat, qui sanitatem & vitam ipsi concredere volunt: subinde etiam caveat à *nimiis promissionibus*, quæ *ipsorum viribus* non respondent: *turpe* enim est medico, quid quod cum *Religione* pugnat, si *hodie* magnis contestationibus omne periculum *extenuat* & *acceleratam* sanitatem promittit, quando *perendie* æger *moritur:* turpius tunc est medico dicere, non putaram, uti *Scipio Affricanus* dixit: *turpe esse in re militari dicere, non putaram*, ubi valet illud *Plinii lib.* 29. *c.* 1. *Hist. nat. in hac sola scientiarum evenit, ut cuicunque medicum se professo, credatur statim, cum sit periculum in nullo mendacio majus: conf Zacchias lib.* 6. *tit.* 1. *qu.* 4. *n.* 14. pugnat etiam cum fide & *Religione* medicorum, si *res parvas* extollunt, ut *authoritatem* sibi conciliení,

cilient, quales *Hippocrates Lib. I. de morbis* & *Celsus lib. 5. c.* 16. admodum reprehendunt, imo hic posterior cum *histrionibus* comparat: inde etiam contingit, ut quando talium *militum gloriosorum* errores innotescunt, magnum *vituperium* tales jactatores prosequatur, qui ipsi propterea *artem* medicam variis ludibriis & *diffidentiis* subjiciunt: quæ cautela tam in *clinica*, quam *forensi* Medicina probe observanda est: hinc per eandem *Religionem* Medicus *integritati* studeat: *secus* vero si negotia succedant, tunc medicus *fidem* suam amittit & ignorantiam potius prodit: quando enim medicus *periculosum* statum patientis occultat & *extenuat*, tunc ægrotantem reddit *securum* & utplurimum una in *periculum animæ* conjicit, de qua negligentia tenebitur artifex justissimo & summo rerum humanarum arbitro reddere rationem: hanc considerationem fusius ventilavit *Rejesius l.c. qu. XI. Bohnius de offic. med. dupl. c. 4. Actius de Infirm. c. 43. n. 26. Fonseca in Med. œconom. c. 11. Codronchius de Christ. med. rat. lib. 1. c. 19 Joh. Alphons. à Fontecha in spec. med. christ. lum.* 1. & hæc virtus, quam modo indicavimus, æque ad *prudentiam*, quam *Religionem* & *conscientiam* medici pertinet; ægrotus enim nullo modo frivole *decipiendus* est, sive id fiat per *negligentiam*, sive per *ignorantiam*, neutrum horum vitiorum excusat: Quodsi etiam medicus vocatus fuerit ad talem patientem, qui ipsum antea maximo *odio* prosecutus est, tunc non modo *Religio* postulat, quo medicus *promptus* sit ad *opem* ferendam, sed quo medelam suam ita exerceat, ac si eandem *amico* adhibuerit, imo *tanto majorem* solicitudinem & vigilantiam adhibeat, quo *inimicum* suum hoc beneficio *vincat* & sibi reconciliet, neque unquam illius inimicitiæ *reminiscatur*, sed hoc etiam officium coram *Deo* candide & *integre* exerceat: quid quod in hac necessitate cum *ardentioribus precibus* ad Deum delatis curam suam conjungat, ut *restitutio* hujus patientis *certius* ac *facilius* impetretur.

§. VII.

Religionis medicæ requiſitum porro eſt, ne medicus conſilium *legi divinæ contrarium* det, neve *animam inquinet, dum corpus mundificare* ſtudet: talia vero conſilia *deducunt* animum ægrotantis *a fiducia in Deum*, a certitudine quod à *ſolo Deo* omnis ſalus ſit expectanda & expetenda, *à fide* in Deum, ab *ardore* & intenſione in *precatione*, ab abſtinentia ab omni animi & corporis inquinatione propterеaque *corrumpunt animum* patientis: & hoc modo *dupliciter* peccat & *Religionem* violat talis medicus; huc ſpectant verba *Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ lib. 1. de patientia c. 30. Rectituto non ſufficit, niſi modus quærendi ſit licitus: licita ſunt, quæ lege conceduntur; conceduntur autem, quæ non prohibentur: omne quod peccatum eſt, prohibitum eſt & omne quod prohibitum peccatum: propterea ut pituitam cures, fornicari non licet: nec audiendi ſunt illi medici, qui ad corporis ſanationem, peccatum inducunt: quæ enim dementia eſt, ut corpus mundes, animam inquinare, id ſimile eſt, ac ſi argentum ſerves, aurum amittas, ne veſtem amittas, corpus occidi patiaris*: ejusmodi conſilia ſunt, quando medicus *luxurioſas exercitationes* corporis, vanas & *profanas* comeſſationes, *inebriationes, libidines*, pravas delectationes animi *criminoſas* & quæ hujus conditionis alia adhuc eſſe poterunt conſilia illicita, quibus cum *conſcientia* violatur & *ſanctiſſimus* Deus *offenditur*: quam eandem admonitionem inculcarunt *Codronchius de Chriſtian. med. rat. lib.* I. *c. 20. Caſp. Thriſtan. de Cler. Medic.* §. *36. Foreſtus obſ. chirurg. lib. 4. obſ. 6. conſ. Rejeſius l. c. qu. 46. p. 572-574.* & ita etiam *Zacchias l. c. lib. 6. tit. 1. qu. 4. n. 2. 3.* dicit: *non remoto morbo animæ non inducit ſanitatem, & quia nulla poteſt dici vere ſanitas adeſſe, ubi anima ſana non eſt, ergo de neceſſitate Medicina debet quærere animæ ſanitatem, & ſanitatem cor-*

poris

poris ad animæ ſalutem dirigere; qui igitur ut corporis ſanitati conſulat, animæ ſanitatem negligit, non in præcepta modo divinæ legis peccat, ſed apud veram etiam Medicinam ut anathema habendus: conferantur etiam reliqua in eadem tota quæſtione ventilata: ſeorſim vero hoc loco notamus, quod *Religioni* contrarietur, ſi medicus *inebriationes* commendaverit & non rectius improbraverit: cujus aſſerti teſtes producimus *Codronchium l. c. lib.* 1. *c.* 20. *Sylvaticum in Controverſiis*: *Zacchiam l. c. n.* 14. 15. 16. nihil enim medicus ordinare debet, quod legi *divinæ contrariatur* & quod *animæ integritatem* ac ſalutem *turbat* & deſtruit: *utrumque* vero talis conceſſa & ordinata inebriatio perficit: quid quod à medico *religioſo* requiritur, ne *ipſe* ſit *ventricola* & *combibo*, ſed quo toto animo *temperantiæ* addictus ſit & ſuo exemplo alios alliciat, qui vitæ & ſanitatis ſuæ curam habent: hinc viciſſim medicus *intemperans* ſuo charactere indignus eſt, quare ex *Ripa* dicit *Zacchias l. c. lib. 2. tit. 1. qu. 11. n. 48. an ebrioſus ab officii publici adminiſtratione, removeri debeat, dubitatur immerito, cum & Clericum & Doctorem Iureconſultum & Medicum & Militem ab eorum muniis exercendis, prohibeantur, ſi ebrioſi ſint;* imo cum Medicus ſciat, confiteatur & urgeat, quod *intemperantia* ſit *mater multorum* morborum & *ipſe* intemperantiæ operam dat, tunc mirari non decet, cur *ægrotantes* ipſius *monitis non* obtemperant; Pugnat inſuper cum *Religione* & *conſcientia*, ſi medicus *ſuperſtitioſa* ordinaverit, quæ magna cura vitanda ſunt: quare *Chryſoſtomus homil. 8.* dixit, *ſatius eſt homini Chriſtiano mortem obire, quam vitam ligaturis vel incantamentis redimere & Auguſtinus Serm. 46. de Sanctis & lib. de honeſtis mulieribus: qui malunt ægrotare & mori, quam admittendo ſortilegos Deum offendere; conf. Timæus à Guldenklee lib. 7. caſ. 24. Caſp. Re-*

jes,

jes. l. c. qu. 22. & 23. tales curationes suspectæ & *superstitiosæ* committuntur cum *ligaturis, amuletis, sigillis, verbis imprecationibus,* variis *sympathiis,* diversis *transplantationibus* similibusve: *conf. D. D. Præsidis disp. de Superstitione Medica:* hinc *Chrysostomus super Matthæum* dicit: *quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant: sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesiam legitur & auditur ab omnibus? cui ergo in auribus Evangelia posita nil prosunt, quomodo eum possunt, circa collum suspensa servare? Deinde ubi est virtus Evangelii, in figuris litterarum an in intellectu sensuum: si in figuris bene circa collum suspendis: si intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa:* huc pertinent illæ *superstitiosæ* medicationes, quæ cum diversis *partibus corporis humani,* veluti *sanguine, corio, pinguedine* committuntur, quæ propterea à *conscientioso* & *prudenti* Medico evitandæ sunt: *conf. D. D. Præsidis Disp. de Dubiis vexatis Materiæ Medicæ,* ast cum ejusmodi peccaminosis curationibus non confundi merentur, illæ medicationes, quando interdum artifex licito modo imaginatione ægrotantis ad salutarem effectum utitur, *conf. D. D. Præsidis disp de Therapia Imaginaria, de Phantasiæ usu, lusu & abusu in Medicina.* Sit porro Medicus *religiosus* in *conversatione* cum *ægrotis liber* ab omni *adulatione* & *simulatione*, qua larva interdum medici ægrotantibus & adsistentibus *placere* cupiunt, non quidem ut patientis *salus* promoveatur, sed ut *medici* spes impleatur & *lucrum* obtineatur: quare *virtus* est, quo medicus sibi favorem & *confidentiam* patientis conciliet, ast *mediis licitis* & probatis, minime vero cum prædictis *vitiis*: Religio enim non tolerat *adulationem*, sed postulat *cor ingenuum*, animum integrum, ἀλήθειαν ἐν τῷ Ἰησοῦ ein rechtschaffen Wesen, sive *veritatem Ephes. 4. v. 21.* quo deinde in *omni casu* medicus religiosus, etiam si *ipse* in morbos incidat & *mortis portas* ingrediatur, cum Hiskia dicere & confiteri queat 2 *Regum 20. §. 3. obsecro Jehova*

hova, recordare jam me indesinenter ambulasse coram te fideliter & animo integro & quod bonum videtur in oculis tuis fecisse: de adulatoribus vero valet *Jerem.* 12. *v.* 6. *ne credito istis quamvis alloquantur te bonis verbis. conf. Rejes. l. l. c. qu.* 8. 14. Quamvis porro virtus medici commendanda sit *affabilitas*, tamen cum *Religione* medici pugnat *garrulitas* & studium *nugarum*: *omnis sermo detestabilis ex ore vestro non prodeat, sed is qui bonus est & utilis ad aedificationem, ut conferat gratiam iis, qui audiunt: Ephes.* 4. *v.* 29. haud itaque patientis animum *confundat*, distrahat & corrumpat cum *anilibus* fabulis; neve sit nugigerulus, sed in omnibus actionibus *modestiam*, *comitatem*, *aequitatem* & *gravitatem* monstret, multo minus per trabem sui oculi alterius festucam eruere contendat, sed *de omnibus non nisi bene* judicare nitatur: ita inclarescet ipsius *justitia* & quod *Religioni* deditus sit, manifestum evadet: *conf. Bohnius l. c. c.* 4. qui locum ab *Accursio codic. de Medic. L. Parabolanos* protulit: *loquacissimi sunt & ita doctissimi vulgi sententia habentur: re vero & opere sunt ineptissimi & artem inter omnes summe honorandam & â summo Deo hominibus concessam, dedecorant.*

§. VIII.

Sicut vero ad officia *Religionis* non modo pertinet, ut homo non solum, *propriam suam* & *proximi animam* liberet: sed & ut *proximi* sui commodum, ad hanc *vitam* naturalem spectans, quovis modo promoveat, ita etiam ad *Religionem Medici* pertinet, ut *aegrotantis* commodum quacunque ratione & occasione observet; quare non *negligenter* & *ludicre* patientem *argento* emungere debet, sub illa excusatione; quasi *nummatus* patiens *vix* dispendium patiatur: inde contingit, ut *praeter necessitatem*, sub multa *inconstantia varia* remedia ordinentur & *impensae* admodum augeantur, quo interdum post obitum aegroti cum

 exi-

eximia morositate sumtus tales à *medico* causatos *posteri* exsolvere teneantur: tanto magis *iniquitas* Medici inclarescit, quando ipse in *favorem pharmacopolæ* præter necessitatem *multa* & *pretiosa* remedia præscribit, quo ab eodem denuo *alterius* commodi, lucri & favoris particeps reddatur: quare medicus Religioni sibi ducere debet, ne hac via patientem suum *dolose* tractet, sed omni occasione *æquitatem* observet: *practica* enim & *fraus* est *multiplex*: *conscientiæ* vero studens, omnem *iniquitatem* fugit: neque vero vicissim *religiosus* Medicus *æquum*, licitum & honestum lucrum pharmacopæo *eripit*: & licet Medico jus parandi & distribuendi nonnulla remedia haud interdictum sit (quam quæstionem passim Medici & inter illos etiam *B. Bohnius de offic. med. dupl. c.* 21. ventilarunt) tamen æquum & justum est, ne Medicus *talia* medicamenta talesque *formulas* præparet, *qualia pharmacopæus sine medici* dispendio commodius parare potest: si enim in uno loco & medicus & pharmacopœus Deo & proximo inservire, nec non opere faciendo victum exercere student, maxima *iniquitas* esset, si *quodvis* lucrum medicus in se rapere & victum quasi *ex ore pharmacopæi* eripere vellet, ut propterea pharmacopola ad assem omnia perdat, daß er neben dem Medico verarme, & hinc de oppressione, invidia & avaritia medici gemitus effundat: hinc Religio postulat, *ut medicus* extra cancellos haud egrediatur, & *proximo* suo *necessariam* sustentationem haud invideat, neque famam hominis *malevoli* sibi comparet, siquidem vulgo medici maculam *invidiæ* tenere dicuntur *vid. Zacchias l. c. lib. 6. tit.* 1. *qu.* 3. *n.* 2. recordentur rectius illius *Prov.* 28. *v.* 22. *accelerat ad substantiam parandam vir malignus oculo, sed ignorat inopiam obventuram sibi*; quare juxta *Syrac.* 37. *v.* 11. *ne ineas consilium cum eo, qui subdole observat te, & ab invidentibus tibi consilium absconde:* eo

ipso

ipſo *pharmacopœis* via monſtratur, ne *illicitis* quibusdam negotiis ſe immiſceant, morborumque *curas* in ſe ſuſcipiant: ex hac enim *perverſa* officiorum adminiſtratione oritur illa *confuſio* inter *medicos* & *pharmacopœos*: de reliquo in hac circumſtantia *ſpecialiſſimæ* conditiones, bene conciliandæ, dijudicandæ & moderandæ ſunt pro *diverſitate locorum*, *ſtatutorum* & *nationum*: Eſt porro requiſitum *Religionis Medici*, quo *rogati ſingulis* ſecundum optimam ſuam ſcientiam & conſcientiam de *vita* & *ſanitate* ſua ſollicitis neceſſariam *informationem*, vel conveniens *conſilium*, vel etiam *auxilium* ſalutare ſuppeditent; quicunque enim pro *alterius afflictione ſalutarem* opem ſciunt, illi per *conſcientiam* tenentur etiam *adverſariis ſuis* cum eadem ſuccurrere; ſiquidem *medici* officia in *proximum propenſo* animo & *ſincera* promptitudine directa eſſe debent: vocatio enim *religioſi* medici *latius* ſe extendit, qui *vires* ſuas *Deo* & *Proximo* conſecrat: neque ſubinde diſcriminet *opulentum* ab homine *infimæ* ſortis & *miſello*, ſed huic *eadem* propenſione ſolatium & medicinam adhibeat, ac illi: hoc ipſum poſtulat indoles *Religionis*, hoc etiam deſiderant *Hippocrates de Præcept. t. ſ. Mercurialis lib.* 2. *Error. popul. c.* 24. *Roder. a Caſtro Med. Politic. lib.* 3. *c.* 21. *Navarra Manuale c.* 25. *n.* 64. *Codronchius de Chriſt. med. rat. lib.* 1. *c.* 29. *Boudewyns ventilabr. med. theol. Part.* 1. *qu.* 46. *Zacchias, l. c. qu.* 8 *n* 11. 12. *Bohnius l. c.* qua occaſione reminiſcimur illius caſus, quem *Zacchias l. c.* proponit & ex variis authoribus ventilat, quando dicit: *n.* 13. *illud multo durius videri poſſit, medicum præter pauperes, teneri etiam curare gratis divitem nolentem aut avarum, qui ut medico mercedem non ſolveret, curari recuſaret: & tamen hæc opinio videtur eſſe Doctorum communis &c.* Religionem Medicam etiam offendit, quando *difficulter morientibus* medicus *mortem facilitare* contendit, ſub illa *ſpecie*, *excuſatione*

& larva quasi medicus morientem *beneficio* afficiat, quod ipsius *calamitatem* & miseriam *abbreviet*: quodsi enim medicus *certus* fuerit de *morte* ægrotantis & quod sanitati *restituendæ* cum *remediis nullus* amplius sit locus, tunc rectius *Deo* committat *eventum*: *character* enim *medici* est, ut *sanitati* confirmandæ, præservandæ & restituendæ inserviat, non vero ut ipse manum ad *opprimendum* ægrum admoveat: & licet hoc beneficium esse *videatur* quando hanc miseriam *præcidit*, tamen hic casus in hac *extremitate* authori vitæ & *summo* rerum humanarum arbitro relinquendus est; ne medicus videatur has *occultas directiones Dei* offendere: huc pertinet, quod *Seneca in Excerpt. Controvers. lib. 3. controv. 9.* professus est: *etiam ubi remedium est mori, scelus est occidere*: *conferantur*, quæ commentatur *Celeb. Schröckius in Scholio obs. 19. A. N. C. dec. 2. an. 1. desperato ægro pharmaca mortem præ foribus jam excubantem, ad concitatiores gressus advocantia propinare, non hominem, multo minus Christianum decet medicum: hinc opio qui in extreme debilitatis, vel in summo senio constitutis, vel agonizantibus ad mortis accelerationem utuntur, erroris merito incusantur à Celeb. Rolfincio & cum eo ab Exc. D. Wedelio lib. 2. opiolog. Sect. 3. c. 3. parallela* vero quæstio est, an officium *Religionis* sit, quo medicus *imminentem* mortem *retardet*: hanc quæstionem ab illa distinguimus, an *mors naturalis medicinæ beneficio retardari possit*, ut homines longævi evadant, quam quæstionem ventilant *Valesius lib. 6. controvers. c. 1. Cardanus Controv. lib 1. tr. 3. com. 9. Peramatus de temp. qu. 15. Pansa de prolonganda vita P. I. Rejesius l. c. qu. 26. n. 2.* aliique: hoc loco sermo est, de *ægrotis*; an illis *morbus protrahi* & *mors retardari* queat: quod hoc medici perficere *nequeant*, explicarunt *Joubertus Err. pop. lib. 1. c. 3. Mercurialis Err. pop. lib. 2. c. 27.* ast non ita *plane* impossibile est mortem

retar-

retardare & morbum protrahere, quando aliquandiu remediassic dicta *cardialia* adhibentur: *conf. Mullerus Disp. de ægro agonizante:* unde *Zacchias* judicat *l. c. lib. 6. tit. 1. qu. 6. n. 10. cum Medicus ut morbum protrahat, remedia salutaria adhibere negligit, aut tarde adhibet, tunc enim non solum peccat mortaliter, sed tenetur etiam ad restitutionem mercedis & est fur manifestus: conf. Carrarius de Med P. 2. n. 70. Codronchius l. c. lib. 1. c. 10.* nos hoc loco id judicamus, quod per *fidem* & *conscientiam* Medicus teneatur *tam diu salvare* ægrotantem, quamdiu *possibile* est: *conf. Bohnius de offic. med. dupl. P. I. 4 p. m. 69.*

§. IX.

Ad *Religionem* Medici præterea pertinet, ne *dubia* aut *periculosa* experimenta in usum trahat, de quibus *certus* est, quod *æque facile noxium*, quam *salutarem* effectum edere queant, ne itaque sub hoc *ambiguo* statu patientem in *periculum* conjiciat *Religioni* sibi ducere debet: facile enim cum ejusmodi *minus securis* tentaminibus adeo patiens destrui & opprimi potest, ut *nulla* medicina semel commissum *errorem* corrigere queat: eo minus vero convenit *talia* experimenta applicare in subjectis *teneris* & *enervatis*, in *infantibus*, *gravidis*, *puerperis*, *senibus*, *virium jactura* laborantibus, in morbis *consummatis*, *diuturnis*, ad *summum* fastigium delatis, febribus *malignis*, *phthisi*, *hectica*, *perfecto hydrope*, febribus *continuis*, *internis inflammationibus* &c. cum Religione *periculosa* talis audacia stare non potest; medicus *religiosus* si *juvare* non potest, curam gerat ne *noceat:* dum vero talia *suspecta*, de quibus nobis sermo est, experimenta minime *certam* spem de consequente *salute* faciunt, propterea minime ad *certius* expectandum *periculum* ansam præbere debemus: Quid in *Abortus* consideratione Religio Medici jubeat *D. D. Præses* peculiari Dissertatione *de Abortus noxia & nefanda promotione* exposuit:

ſuit: nos brevibus indicamus, quod *religioſus* medicus nunquam *ludicre* ad abortus *provocationem* animum dirigere debeat, ſub quocunque etiam *prætextu æquitaem* hujus tentaminis quisquam *juſtificare* cogitet: quodſi vero jam abortus *ſponte* à natura ſuſcitatus fuerit, ſi fœtus *retentionem* medicus promovere plane non poteſt: ulterior viciſſim hujus abortus *recluſio* matri *periculum vitæ* minatur, tunc *hujus* abortus *ultimam* excluſionem, quo matrem *ſalvet*, *quadantenus* adjuvet *æquus* medicus: *reliquæ* enim exceptiones non ſunt *tanti* ponderis, ut propterea medicus *ſuo arbitrio* abortum excitare queat: hanc quæſtionem inter alios medicos Caſuiſtas & Forenſes ventilarunt *Rejeſius l. c. q.* 51. *Zacchias l. c. lib. 6. tit.* 1. *qu.* 7. *n.* 13. 14 *ſeq.* propterea cum *Ariſtotelis* Philoſophia & *Hippocratis* medicina non conſentimus, qui abortus provocationem *approbarunt* Ethnici hi, à *vera* Religione propterea declinarunt, & *periculoſis* auſibus fidem ſuam omnino ſuſpectam reddiderunt: *Religio* Medici porro requirit, quo in cauſis *gravibus* & caſibus *arduis* artifex non *ſibi ſoli* confidat & ſapiat, ſed *aliorum* deliberationes & *conſultationes* admittat, imo deſideret; quantam enim conſultationes habeant *utilitatem*, omnes *æqui* arbitri inter Medicos ſignificant: quicumque viciſſim tales judiciorum *conciliationes* abſolutè detrectant, utplurimum *iniquam* habent intentionem: *interdum* vero etiam *religioſi* medici officium eſt, quo *nonnullas* conſultationes *declinet*, quæ præcipue patienti *præjudicioſæ* & adverſæ ſunt: unde per *conſcientiam* devinctus eſt talis medicus, ſi ex quibusdam conſultationibus *damnum* quoddam metuendum eſt, ut juſta ſollicitudine illud *avertat* & ne *ipſe* quicquam ad hanc *perniciem* ab ejusmodi conſultatione expectandam contribuat, rectius ipſe egerit, ſi *officium* & commercium cum patiente *aliis* relinquat & a cura *tali abſtineat:* qualis abſtinentia non *moroſitate*, obſtinato a-

nimo

nimo & injusta causa, sed *ingenua* sollicitudine de proximi afflicti *salute* nititur: de qua consideratione multæ *speciales* circumstantiæ attingendæ essent, ni propositum nostrum esset, in hoc themate *fundamenta* tantum requisitorum *Religionis* Medici annotare & commendare: interim & hanc eandem disquisitionem de consultationibus medicis passim Medici *clinici* & *Forenses* pertractarunt: *Sacram* porro æstimet Medicus *religiosus* vitam humanam, neque *ulla* ratione & occasione illam *negligentius* tractet, in quo puncto illi maximopere errant, qui *vilioris* hominis *sanitatem*, vitam & morbos *vilipendunt*, judicantes es sey nicht viel an ihm verlohren, die Welt könne seiner schon entbehren, wann er gleich sterbe, würde man ihn nicht vermissen &c. vita non *distinguit* homines, sed hosce reddit *communes*; hinc ubique *caute* tractandi sunt patientes: quoad hanc circumstantiam committitur non raro *error*, *Religionem* & *amorem* christianum offendens in medicina *castrensi*, in qua aliquoties *audaculi periculosa* conamina suscipiunt, sub illa temeraria *excusatione*, es sey ein harter Dragoner oder Mußquetier, solche Leute müssen und können etwas vertragen: & licet hujus conditionis homines *efficaciores* medicationes perferre queant, propterea tamen non decet cum illis *pericula* facere, aut illorum vitam *ignobiliorem* æstimare: eadem *censura* etiam insinuanda est, quoad curam *delirantium*, cum quibus quidem *selectæ* medendi methodi suscipiendæ sunt; ast contra *Religionem* peccat, si medicus illos, quia *delirant*, *negligenter* aut *audacter* tractare vellet, sub illa *injusta* excusatione & declaratione, es sey nicht viel daran gelegen, ob ein Narr mehr oder weniger in der Welt sey! caveat etiam Medicus *Religioni* studens, ne tales homines *despiciat*, pro nihilo aut ludibrio habeat, neve illos offendat, *irritet* & magis confundat, & *qui putat quod stet caveat, ne cadat*. 1 *Cor*. 10. *v*. 12. *ne derideas hominem, cujus anima in acerbi-*

tate

tote versatur: est enim qui deprimit & qui exaltat. Syr. 7. v. 12. eo magis vero *religiosus* medicus misereatur & curam habeat ægrotorum *improborum*, quos sedulo in afflictione sua *admoneat*, ne simul *animam* & *corpus* perdant, unde illis succurrat *precibus, interpellationibus* & *fiant pro ipsis deprecationes 1 Tim. 2. v. 1.* in hisce subjectis eximium studium impendat, quo *animam* simul *salvet*: hinc olim per *sanctiones*, statuta & *religiosa privilegia* in more positum fuerat, ne medicus *prius* officium suum aggrediatur, nisi patiens *antea animæ* curam observaverit: & quamvis talis bulla nimis onerosa, aut tale edictum nimis *rigorosum* fuerit sub Pontificibus *Innocentio III. Pio V.* & *Sixto V.* uti *Rejesius l. c. qu. 13. n. 13. seqq.* disserit; tamen medicus etiam propter *animam*, ægrotantis *corpori* subvenire debet; tanto magis Religioni studet, si & *animam* & *corpus ipsius* salvare nititur.

§. X.

Contrariatur porro *Religioni* Medici, quando ex *superstitiosis* fundamentis & confusis *Astrorum* conciliationibus certæ prædictiones formantur: quales medici *divinatrices*, circulatoribus & nugivendulis similes & se & alios crasse *decipiunt*, adeoque *Religioni vim* inferunt: sermo nobis est de tali Medicina *astrologica*, quæ ex *falsis, superstitiosis*, vanis & ridiculis principiis ducitur: nos ex *Rejesio qu. 75. n. 32. p.* 1027. hæc verba hoc loco allegamus: *Conciliatori hæc relinquamus, qui hæc non solum, sed ingenti vesania percitus, ex astrorum positionibus & certis viribus a Deo & ab hominibus quod petitur adipisci posse, turpiter scripsit: tantis enim astrologicis scatuit erroribus & illius vanitatibus credidit, ut merito illius opera eliminanda forent; quo factum est, ut Campegii doctissimi Galliæ Medici censura in ipsum adverteret, & castigationes a Medicis omnibus legendas adjungeret, quo unusquisque sibi caveat, ne tam horrendis superstitionibus*

tionibus aures præſtet, quemadmodum cæteris mathematizantium fabulis facere debemus, de hoc Conciliatore qui *Petrus de Abano vel Aponenſis* eſſe dicitur, differit *Ammannus de Syncretiſmo* hiſce verbis: *niſi Aſtrologiam medicis inſinuare intendiſſet & plura contra Religionem Chriſtianam (quæ refutavit Symphorianus Campegius in cribrationibus adverſus conciliatorem) blateraſſet, magni adhuc fieret.* Talem cenſuram meretur improba & doloſa Medicina aſtrologica quæ animum à *Creatore* deducit & in *vanas* & temerarias *ſpeculationes* ſeducit: quantum enim Aſtronomi metiuntur, tantum Aſtrologi mentiuntur: in tantum enim a vera Religione diſcedunt Medici, quando talem Aſtromantiam exercent, ut Ethnicorum, Chaldæorum, Ægyptiorum aliorumque commenta propagent aut recoquant: & *talis* divinatio ex *aſtris*, quando ſecundum *communem* modum Aſtromantiæ in artem Medicam trahitur, omnino repugnat ſinceræ *Religioni:* pertinent huc *Leonh. Fuchſii* verba in *Inſtitut. Med. lib. 2. Sect.* 1. *c.* 2. *aſtrologicæ vanitates certiſſimum ſunt Medicinæ impedimentum:* allegantur tales vanæ & religioni medicæ contrariæ ſpeculationes in Libro cui titulus *de Methodo morbos curandi mathematica in 4. Francof.* 1613 nec non in *Arboreto Mathematico Beutelii*, in *Introductione ad Aſtrorum Judicia Darioti*, aliisque: quemadmodum vero *Deus* ſummo rigore *dehortatus* eſt populum ſuum, ne hiſce *commentis* divinationis ex aſtris indulgeant, ita idem monitum Medicis, qui Religioni ſtudent commendandum eſt: de hac *Aſtrologia judiciaria vid. Jerem.* 10. *v.* 2. *Levit.* 19. *v.* 31. *c.* 20. *v.* 27. *Deut.* 18. *v.* 10. 11. de eadem Aſtrologia dicit *B. Lutherus* in Tiſch-Reden *c.* 37. Ich lobe die Aſtronomiam und Mathematicam, die da ſtehet in demonſtrationibus - - ſo ferne ſie in ihren Circul bleibt, dazu ſie von GOtt geordnet iſt, iſt ſie eine ſchöne Gabe GOttes; wann ſie aber weiter ſchreitet und will von künfftigen Dingen reden, wie es einem ge-

hen, was er vor Glück und Unglück haben wird, wie die Astrologi pflegen zu sagen, so soll man sie nicht billigen: aber die chiromantiam und die in die Hand sehen, wie es einem gehen soll, soll man gar verwerffen = = = die Astrologia ist keine Kunst, denn sie hat keine principia und demonstrationes darauf man gewiß unwanckend fussen und gründen könte: sondern die Sternkücker richten sich und urtheilen nach den Fällen, wie sichs zuträgt, und sagen und geben für, das ist einmahl und zwier geschehen und hat sich also zugetragen, drum muß es allezeit geschehen und ergehen, was sich zuträgt und geschieht, und die Fälle, so da zutreffen, davon sagen sie wohl; die aber fehlen davon schweigen sie stille. Ich bin so weit kommen und beredt in der Astrologia, daß ich gläube sie sey nichts. Die Astrologi sind arme unselige Leute, die ihnen träumen, daß ihr Creutz und Unglück nicht von GOtt, sondern vom Gestirn herkomme, darum können sie keine Gedult haben: D. M. L. Sagte von der Narrheit der Mathematicorum und Astrologorum der Stern-Kucker, die von einer Sündfluth oder grossen Gewässer hatten gesagt, so Ao. 1524. kommen soll, das doch nicht geschahe, sondern das folgende 25. Jahr stunden die Bauren auf und wurden aufrührisch: davon sagt kein Astrologus nicht ein Wort: Er redet aber von Bürgemeister Hendorff, derselbe ließ ihm ein Viertel Bier in sein Hauß hinauf ziehen, wolte da warten auf die Sündfluth, gleich als würde er nicht zu trincken haben, wann sie käme. = = Den Sternen glauben, darauf vertrauen, oder sich dafür fürchten, ist Abgötterey; wieder das erste Gebot GOttes = = Was von GOtt geschieht und Sein Werck ist, das soll man den Gestirnen nicht zuschreiben = = = Astrologia ist eine feine lustige Phantasey, und gefällt der Vernunft wohl = = es ist aber gar keine rechte Wissenschaft und gewisse Erkänntniß, und diejenige irren sehr, die aus diesem Ding eine gewisse Kunst und Erkänntniß machen wollen, da doch keine nicht ist: der Astrologen und Stern-Gücker gemahnet mich gleich, wie eines der Würffel feil trägt und saget: Siehe, ich habe gute Würffel, sie werffen stets 12: Nu du wirffst offt hin, wann einem 12. kommen, so ist die Kunst recht, man siehet aber nicht wie oft man zuvor 1. 2. 3. 4. 5. 6. geworffen: also thun auch die Astrologi. u. a. m. conf. *B. Arndius*, qui nonnulla de hac consideratione profert im wahren Christenthum Lib. 2. c. 58. ubi inter alia dicit: Die aus der neuen Geburt seyn, sind über die natürliche Himmel mit ihrem Wandel, und sind nicht mehr *filii Saturni*, *Jovis*, *Martis*, *Solis*, *Mercurii*, *Lunæ*, sondern GOttes Kinder und leben im Glauben dadurch Sie sich den Kräften und *impressionen* des natürlichen Himmels entziehen, die aber nicht in der neuen Geburt leben, sondern nach dem Fleisch, die haben

ben ſich zu fürchten, dann ſie müſſen des Himmels Streiche leiden, weil ſie heydniſch leben. *vid. Lib.* 4. *c.* 4. Eandem *cenſuram* meretur *Magia* illa *naturalis*, prout *vulgo* exercetur, quando in eadem multæ *ſuperſtitiones*, vana tentamina & interdum temeraria experimenta committuntur, ſub perpetua illa excuſatione, Magiam naturalem eſſe *licitam* & multos ſalutares & *admirandos* effectus, vires & operationes in eadem *latere*: ſub qua *larva* varia *ludicra* tentamina ſuſcipiuntur, quæ *contra* fidem & conſcientiam pugnant, qualem Magiam naturalem Medicus *religioſus* ſectari non debet, cum multus *dolus*, *profanatio divini* nominis, infidelitas, *ἀπιστία*, fides & confidentia in ſubjecta *vana* &c. ſub Magiæ naturalis *tegmine*, *prætextu* & *titulo* ſæpe exerceri ſoleant: quare ejusmodi auſus ſunt contra *Religionem* medici: fugiant itaque ingenua ingenia *petulantem* talem uſum *phantaſiæ* & aviditatis in *nova* aut *ſecreta*: illi enim qui *arcana* naturæ recludere contendunt, perſæpe in *periculoſa* experimenta & *tentationes* incidunt, quæ tandem *ſtigmata* & *vulnera* conſcientiæ detegunt: quilibet potius operam det *ſinceritati* & *ſimplicitati*, in *qua* via, uti animus non *altiora* affectat, non metuendus eſt *perniciosus* lapſus. Eſt proinde requiſitum *religioſi* medici, ut erga patientes ſuos *miſericors* & non *auſterus*, *moroſus*, impatiens & rigoroſus ſit; ita enim *Hippocrates Lib. de fracturis* dicit: quod *ex aliorum miſeria ſibi dolorem metiat*, & uti *Auſonius Gellius Edylio* 2. cecinit: *obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemptæ officiumque meum cum pietate fuit*: hæc enim indoles hicque affectus compaſſionis & miſericordiæ denotat *amorem erga proximum* & ſinceritatem in animo medici, quæ virtutes apprime cum *Religione* conveniunt: medicus enim immiſericors non multum curat, an patiens moriatur, an vero reſtituatur, an multum an parum ægrotet, ſubinde vero in negotiis ſuis facile *negligentius* operatur, multisque

que *erroribus* se exponit: *vera* & sincera *misericordia* semper ingenuum *amorem Deo* acceptum, *proximoque* salutarem includit: & hic animus *misericors* eo magis reddit artificem, *alacrem, circumspectum & assiduum,* quo afflicto ægrotanti opem *necessariam* afferat.

§. XI.

Sicut Religio Medici sese per *omnes* Medicinæ partes extendit, uti hactenus in *fundamentali* explicatione delineare placuit, ita paucas adhuc animadversiones adnectere lubet, quæ Medicinam *Forensem* concernunt, in qua Medico incumbit, ut *corpus delicti accurate* inquirat & de eodem *circumspecte* deponat: etenim in illis *arduis* casibus, ubi de *sanguine humano* æquum & providum judicium ferendum est, eximia pars *Religionis* medicæ exercenda est: quemadmodum alias in hoc stadio *veritati* admodum studere convenit, ne *sinistræ* depositiones aut *negligentius* formata judicia variis consequentibus *iniquis* rerum successibus & processibus ansam præbeant: quare recte *Sebizius in Prodrom. exam. vuln. Part. 3. thes. 4.* dixit: *oportet hoc casu animum habere ab omni affectu vacuum, credendo Deum* καρδιαγνώστην *nobis adesse & factorum nostrorum omnium inspectorem esse oculatissimum: sique contra veritatis & æquitatis legem sententiam tulerimus, vindicem severissimum, sin pro veritate steterimus, fautorem ac remuneratorem benignissimum: magnum quippe crimen est, impietatis plenissimum, eum qui à mortis pœna liberari potest, falsò atque iniquo testimonio reum facere:* huc pertinet effatum *Bernh. Suevi de Inspect. vuln. lethal.*; *quicunque in causas vitam & famam hominum concernentes vel obiter inspiciunt, vel ludicre de illis sentiunt, Deum offendunt, Religionem lædunt & proximi salutem destruunt:* hinc *Fienus Semiot Part. I. Sect. 4. c. 1.* eloquitur: *si medicus nimis temerarie judicat, reus est ipsemet*

mortis

mortis & supplicii vulneratoris & *Tulpius* dicit *lib 4. c. 7. Cave sis Medice, aliter loquaris, aliter sentias, sit tibi religio nunquam judicem in fraudem allicere*: & *Codronchius method. testif. c. 3.* ait: *medicus qui de morbo aliquo vel vulnere sententiam suam religiose testificari debet, ante omnia animum ab omni affectione perturbationeque liberum vacuumque habere oportet & veritatem sectando mendacium odio persequi &c* accedit monitum *Fidelis* circa finem operis sui: *ante alia semper te veri amatorem esse atque amicum consulo, nam cum turpe ubique sit, Medicum mentiri omnium tamen maxime indignum est, cum jurisjurandi interponitur fides, quam violare summum est nefas*: singula itaque hæc testimonia probant, quam religiose in Medicina forensi procedendum sit; id quod etiam *B. Strykius de jure sensuum Disp.* 1. & *B. Bohnius de offic. med. dupl.* passim inculcarunt: conferantur quæ *Zacchias l. c. lib. 6. tit.* 1. *qu. 5. n. 26.* profert, ne unquam in judiciis *falsa* proponat medicus: Medicus enim multis modis contra *fidem* & Religionem peccat, si in casibus forensibus non *exquisite conscientiam* suam observaverit, non enim tantum suam fidem violat, sed judicem etiam occæcat & corrumpit, & causa falsi judicii est, sicque efficit ut v. g. in causa homicidii, sanguis profusus non modo de *homicida*, sed etiam de *medico*, tanquam *iniquo* judice ad *Deum* clamet: unde liquet, quam provide & *religiose* in talibus casibus Medicus procedere debeat: quemadmodum talis Medicus in judicando magis *misericordiæ, quam sævitiæ & crudelitatis rationem reddere* debet, *vid. Carpzovius Prax. Crimin. Part. I. qu. 26. n. 28. ubi enim de sanguine in terram profuso, qui ad cœlum anxius clamat, controversia movetur, movetur etiam ibidem de sanguine vivi adhuc hominis carnificis manu profundendo* dixit *Illustr. Strykius de Jure sensuum disp. I.* Si enim in talibus casibus medicus *judicium* & *justitiam*

mundi *ſublevare* debet, tanto majori propterea ſtudio niti debet, quo in ſingulis circumſtantiis neque *timide* neque *negligenter* procedat, ſed ſub exoratione *divini* auxilii & divinæ *ſapientiæ* omnia cum *libera conſcientia* exequatur: caveat etiam *religioſus* medicus ne ſub *conciliatione* circumſtantiarum *ſuſpectum ſyncretiſmum* à *veritate* & *ſinceritate* diſcedentem committat, de quibus deinde valet illud *Eſaiæ* 5. *v.* 20. *væ dicentibus de malo bonum eſſe, & de bono malum, ſtatuentibus tenebras pro luce & lucem pro tenebris, ſtatuentibus amarum pro dulci & dulce pro amaro, Amos* 5. *v.* 7. *mutantibus jus in abſinthium & collocantibus juſtitiam humi: c.* 6. *v.* 12. *mutantibus jus in cicutam & fructum juſtitiæ in abſinthium.* Qui vero *Deum timet* ille ambulat in *veritate*: magnam enim prudentiam & *æquitatem* requirit *conciliatio* circumſtantiarum in *talibus* caſibus obviarum: ſiquidem alias quædam *conciliationes Medicorum* & *Philoſophorum* in *nonnullis* deciſionibus ſuo foro competentibus non ſemper *ingenuæ*, probatæ & veræ ſunt, dum quandoque talia judicia crinibus contrahuntur *conf. Gilberti Philareti conciliatio Avicennæ cum Hippocrate & Galeno, Jacobi Peletarii conciliatio locorum Galeni cum Horatii Lumbiſani deciſionibus Claudii Alberii diſſ. de concordia Medicorum*: quare quælibet affectata & iniqua conciliatio erit fugienda: etenim *Syncretiſmus* in *omnibus* negotiis non modo *difficilis* eſt, ſed etiam multa *prudentia* tractari debet: hinc *Ammannus in Præfat. ad Medic. Criticam* dicit: *æque decet medicum Practicum, qui Praxin in Domino inſtituit, & felices progreſſus experiri ſatagit atque Theologum colluviem religionum deteſtari, atque omnibus diris devovere: licet autem Syncretiſmus Religionum à Medico exulare debeat, bene tamen Syncretiſmus opinionum atque controverſiarum ad praxin maxime ſpectabilium ipſi competet,* Si denique Medicus in *quibusvis* caſibus practicis *omni* occaſio-

casione destitutus est, qua *salutaria* consilia & auxilia medica offerre queat, debeatque, *unicum* adhuc superest medium & remedium *spirituale*, quod ad Religionem medici spectat, videlicet *precatio ad Deum*, hæc enim *plus* valet, quam *pharmacum*, & si in medicaminibus *nulla* spes humana superest, tunc *piæ preces* ex Religione supplebunt *defectum* medicinæ: Medicus enim, qui hanc *orationem* intermittit, ne *nomine* quidem medici *dignus* est: concludimus cum Symbolo Rosini Lentilii *aut Pius aut Medicaster*: quare recte *B. Riedlinus in manuductione ad studium Medicum* monet, *ut veræ & salvificæ religioni addictus sit, bonis moribus & pietati studeat Medicus, siquidem hæc ad omnia utilis, promissionemque habet hujus & æternæ vitæ*: in quā commendationem commentatur *Filius Riedlinus, sine pietate Medicina rite exerceri non potest*; quare ipse concelebrat scripta *Arndii, Henr. Mülleri, Lutckemanni*; *Scriveri*, conferenda; nos non modo hanc commendationem approbamus, sed *B. Speneri, Tauleri, Schadii, Bunian, Th. à Kempis &c.* scripta connectimus; denique quasi incidenter significamus, quod cum titulo præsentis tractationis conveniant scripta *Joh. Alphonsi Fontechæ Speculum Medicinæ Christianæ, Codronchii tr: de christiana & tuta medendi ratione*; *& Thomæ Browne tr. de Religione Medici*: & si *Joh. Bodinus Politicus Gallorum lib. 4. de republ. c. 7.* dixit, quod de *religione disputare perniciosum & à principibus prohibitum sit*, tamen hoc loco talia proponere placuit, quæ *non prohibita* sunt & *medicinæ utilitatem* sinceritatem & *salutares* progressus adjuvant; quodsi præsens noster conatus non illo animo, quo eundem suscepimus, accipiatur, tunc themati nostro satisfecisse existimamus: de reliquo *bonæ* intentionis, *sinistra* apprehensio passim occurrens, nos hujus laboris minime pœnitentes reddit: sed remi-

nisci-

niſcimur *Marc.* 6. *v.* 18 - 20. 1 *Reg.* 13. *v.* 1. *ſeq. c.* 22. *v.* 8. 2. *Reg.* 1. *v.* 2 *ſeq. c.* 26. *v.* 16 *ſeq.* 2 *Chron.* 16. *v.* 7. 10. *c.* 24. *v.* 20. 21. *Jerem.* 18. *v.* 18. *Amos* 7. *v.* 10 *ſeq. Actor.* 7. *v.* 54. *&c.* poſteaquam vero prima lineamenta de Religione Medici hac diſſertatione indicavimus & monſtravimus, ita nunc Deo benigniſſimo hunc conatum noſtrum conſecramus, humillimeque eundem rogamus ut noſtra ſingula conſilia & conamina ſalutari ſucceſſu beare velit.

